# EPHEMERIDES

## RERUM AB ALEXANDRO MAGNO IN PARTIBUS ORIENTIS GESTARUM

DISSERTATIO HISTORICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI TRADIDIT ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE VIII MENSIS MARTII ANNI MDCCCXC HORA XII PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR


## JOSEPHUS KOHN

DUESSELDORPIENSIS


ADVERSARII ERUNT

RICARDUS JOHNEN
DR. RICARDUS KNIPPING
ARTHURIUS KOERNICKE


BONNAE

TYPIS PETRI HAUPTMANN

MDCCCXC

PARENTIBUS CARISSIMIS

S.

Quisquis res ab Alexandro Magno gestas certis temporis finibus includere sibi proposuerit, ei proficiscendum erit a lunae illa defectione, quae a. 331 20/21 Sept. accidit, paulo antequam Dareus ultimo ad Gaugamela proelio devictus erat (Arr. III 7, 6 Curt. IV 10, 2 Plut. Al. 31 Ideler Handb. d. math. u. techn. Chronol, I 347). Inde ad expeditionis Asiaticae initium, a quo quaestio mea exordium capit, 3 anni et 6 fere menses iam transierant (vide Arr. I—III 7 Diod. XVII 17—55); vere igitur a. 334 Alexander Macedoniam reliquerat. Praeter illam lunae defectionem apud Arrianum haec tempora Atheniensium ratione notantur:

II 11, 10 Pugna ad Issum Maemacterione Nicocratis anno facta,

II 24, 6 Tyrus Hecat. Anicetis anno capta,

III 7, 1 Euphratis ad Thapsacum Hecat. Aristophanis anno transitus,

III 17, 5 Pugna ad Gaugamela Pyan. Aristophanis anno commissa,

III 22, 2 Darei Hecat. Aristophontis anno mors,

V 19, 3 Pugna ad Hydaspem Munych. Hegemonis anno facta,

Ind. 21, 1 Nearchi navigationis 20 Boedr. initium.

Quae tempora num recte sint ab Arriano proposita, dubium videtur esse. Scilicet quos potissimos auctores habuit, Ptolemaeus et Aristobulus Alexandri comites, non Atheniensium sed Macedonum mensibus usi sunt. Quod cum rebus ipsis postulatur tum certis indiciis comprobatur (Droysen Gesch. Alex. II 343). Duplex autem inter utriusque populi menses intercessisse ratio traditur.*)

*) Idelerum secutus Aelianum (v. h. II 25) neglegendum esse existimo (Droysen II 346); apud Plutarchum porro alio loco (Arat. 53) Sicyonicus certe Daesius intellegitur non Macedonicus (Ideler I 402 Hermann Abhdlg. d. K. G. d. Wiss. Gött. II 1842—1844 p. 151).

| | Dem de cor. 157. | Plut. Al. 3,16 Cam. 19. |
|---|---|---|
| Hecatombaion | = Daesius | Lous |
| Metageitnion | = Panemus | Gorpiaeus |
| Boedromion | = Lous | Hyperberetaeus |
| Pyanepsion | = Gorpiaeus | Dius |
| Maimacterion | = Hyperberetaeus | Apellaeus |
| Poseideon | = Dius | Audynaeus |
| Gamelion | = Apellaeus | Peritius |
| Anthesterion | = Audynaeus | Dystrus |
| Elaphebolion | = Peritius | Xanthicus |
| Munychion | = Dystrus | Artemisius |
| Thargelion | = Xanthicus | Daesius |
| Scirrophorion | = Artemisius | Panemus |

Jam cum ex Mercurii et Saturni siderum observationibus a. 245 5 Apell. respondere 19 Nov., a. 237 14 Dium 30 Oct., a. 229 5 Xanth. 1 Mart. ab Idelero (I 396) demonstratum sit, re vera illis annis Loum eodem fere tempore initium cepisse constat. Eundem mensium situm a. 334 fuisse eo cognoscimus, quod Plutarchus (Cam. 19) Thargelione, qui mensis fuit 15 Mai.– 15 Jun., ad Granicum pugnatum esse narrat. Aliter Philippo rege se res habuit. Cum enim Alexander post ludos Olympiae a. 356 habitos et Loo quidem mense in lucem editus sit (Plut. Al. 3), Loum non cum Plutarcho Hecatombaeoni, sed cum Demosthene Boedromioni aequare par est (cf. Nissen mus. Rh. XL 351). Verum est epistulam illam in Demosthenis oratione exhibitam spuriam a viris doctis iudicari (Droysen II 346 Grote histor. Graeca ed. Meissner VI 394 anm. 135 Schaefer, Demosth. u. s. Zeit III 2, 110) At nihil obstat, quominus virum illum doctum, qui epistulam finxit, mensibus iustum locum tribuisse statuamus. Eundem certe ordinem Sidonii servabant, alium aliae civitates (Ideler I 434). Alexandro enim mortuo fasti Macedonici a plerisque populis recepti sunt, ita quidem, ut menses in singulis civitatibus varium locum occuparent (Ideler I 409). Quo factum est, ut mensium indices, quibus viri docti utebantur, valde inter se discreparent. Accedit difficultas antiquioribus Graecorum fastis omnibus innata perobscurum

esse, quibus annis intercalatum fuerit. Certe reges arbitrio suo intercalasse exemplum a Plutarcho (Al. 16) commemoratum demonstrat. Quae omnia si tecum reputaveris, certam legem, qua menses Macedonici cum Atticis vel cum nostris commutari possint, non exstare perspicies. Jam vero quaeritur, utrum Arrianus menses Attico more recte notaverit necne.

Atque singulos locos cum examinare oporteat, a pugna ad Gaugamela facta, quam Arrianus (III 15,7) in Pyanepsionem, Plutarchus (Cam. 19) in Boedromionem incidisse tradit, ordiri iuvat. Arrianum errasse inter omnes constat (cf. Unger: Handb. d. klass. Altertumswiss. ed. Müller I 591 A. Mommsen Chronol. 450); cum enim pugnatum sit a. 331 Oct. 1 (ann. 20) et secundum Arrianum 26 Pyan., annum istum Aristophanis sub 10 Jun. incepisse statuere oportet. Sed tam maturum anni initium a fastis Atticis prorsus alienum est. Contra si cum Plutarcho pro Pyanepsione Boedromionem inseris omnia recte se habent.

Pergamus ad pugnam Issicam, quam Arrianus (II 11, 10) Maemacterione mense commissam esse tradit. Cum autem a. 333, de quo agitur, Atheniensium praetores 1 vel 3 Jul. magistratum iniissent (Unger 592 Mommsen 292 Schmidt Chronol. 786/87), tum Maemacterion fere a 27—29 Oct. usque ad 26—28 Nov. pertinuit. Quae temporis definitio rerum gestarum seriei vix apta videtur esse. Alexander enim exeunte vere Gordio profectus Cappadociam adiit; inde Tarsum pervenit, ubi aegrotavit: tunc aestas erat (Curt. III 5, 1). Quantum temporis Alexander in itinere Gordio Tarsum facto consumpserit, traditum non est, sed satis accurate definiri potest. Nostra enim aetate Tschihatscheff intra 162 horarum spatium Ancyra (nunc Angora) Tarsum usque pervenit (Peterm. Mitteil. suppl. IV 1865—1867 p. 9/10, 13) i. e. intra 20—25 dies. Si 3—4 dies addimus, quibus Gordio Ancyram perveniri potest (c. 14 milliar. secundum tabulas geographicas), summa efficitur 30 fere dierum, quibus commodissime illud iter confici potest. Etsi concedendum est Alexandrum tardius processisse, quippe qui cum exercitu et per ignotas regiones proficisceretur, tamen non plus duo menses in rationem inducendi

sunt. Quae si perpendimus, concludamus necesse est Alexandrum Augusto mense Tarsum intravisse. Ibi eum aegrotavisse notum est; sed brevi, tertio vel quarto die (Curt. III 7, 16 Just. XI 8, 9 Diod. XVII. 31, 6 εὐθύς), convaluit. Deinde excursione facta contra Anchialon, Solos, Cilices montanos iisque intra 7 dies subactis, Tarsum rediit (Arr. II 5, 1—8 Curt III 7). Contra Dareum interea iam progressum (Diod. XVII 31, 6) castra movit et ad Issum victor exstitit. Qua rerum explanatione apparet non eo, quo voluit Arrianus, mense sed antecedente i. e. Pyan. vel Oct. pugnatum esse.

Jam transeamus ad Tyri expugnationem. Quod si recte posuimus Octobri Dareum ad Issum clade affectum esse, etiam illam priori mensi attribuere debemus quam Arrianus i. e. Scirrophorioni exeunti (cf. Arr. II. 24, 6). Glueck quidem (De Tyro ab Al. M. oppugnata et expugnata 1886 p. 26) cum omnibus aliis iustum mensem ab Arriano indicatum arbitratus, Tyrum sub 20 Aug. expugnatam esse dicit. Sed haec temporum ratio cum rerum, quae sequuntur, serie minime congruit. Tyro enim expugnata post diutinos labores, quos per septem menses perpessae erant, copiis procul dubio quies aliquot dierum, puto quindecim vel viginti, data est; deinde Gazam rex processit, quod oppidum a Tyro c. 32 milliar. vel 8—10 diebus abesse existimaverim. Gaza 2 mensibus post capta, Hierosolyma et Sicima (Sichem, Kiepert alte Geogr. 159) adiit, quod iter, 30 fere milliar. longum, 8 certe dies absumpsit. Inde iterum post 8 fere dies Gazam reversus, septimo die Pelusium adiit. Intercedit autem certe aliquot dierum numerus, quibus in Judaeorum oppidis commoratus est et, Gaza expugnata, copias refecit. Quae omnia accurate contemplati si Tyrum c. 20 Aug. expugnatam esse statuimus, ante Decembrem exeuntem vel Januarium ineuntem Gaza proficisci Alexander non potuit. Quod vero Alexandream 21 Jan. condidit ac non statim post adventum (vide ephem. et ann. 13), omnia magis quadrant, si Tyrum c. 20 Jul. captam esse censemus.

Postquam Arrianum mensem posteriorem pro priore indicasse demonstravimus, aliis locis contrarium accidisse vide-

bimus. Scribit enim III 7, 1 Alexandrum a. 331 Euphratem Hecatombaeone mense transiisse, qui fuit inter 9 vel 11 Jul. et 10 fere Aug. Cum autem rex copias Tigridem 20 Sept. transportaret, inter utrumque transitum, si recte esset illud tempus ab Arriano propositum, 40—70 dies intercederent. Minimum numerum si sumimus, in itinere ab Euphrate ad Tigridem facto uno quoque die $1^1/_2$ milliaria confecta statuamus necesse est. Nam illa duo flumina iis ipsis locis, quibus Alexander ea transiit, 2400 stad. = 60 mill. Germ. distant (Strabo III 1, 24). Tam tarde autem imperatorem pugnandi studio flagrantem profectum esse equidem mihi persuadere non possum. In extrema quidem itineris parte celeriter eum processisse scimus (Arr. III 7, 5). Otium autem longius militibus datum esse nusquam traditur. Ita apparet regem non Hecatombaeone sed Metageitnione Euphratem transiisse.

Iam vero alterum locum tractemus. Darium mortuum esse Hecatombaeone Arrianus vult (III 22, 7), qui cadit inter 29 vel 30 Jun. et c. 30 Jul.; annus enim est 330 (ann. 28). Alexander autem Persepoli castra movit paulo post Junium ineuntem (ann. 25), inter quod tempus et Darei mortem minimum 2 menses intercedunt (ann. 26—28). Itaque non ante 10 Aug. Dareus mortuus est. Nec satis diligenter Zolling (Alex. Feldzug in Centralas. p. 71/72) tempora discripsit, qui, ut mensem ab Arriano indicatum rectum esse comprobaret, 14 dierum spatium prorsus omisit. Ita pro Hecatombaeone Metageitnion scriptori ponendus erat.

Ad Hydaspem pugnatum esse Munychione mense Arrianus dicit (V 19, 3); qui mensis diebus 24 April. et 23 Mai. circumcluditur (ann. 83). Post pugnam copiis 30 dierum otio refectis (ann. 84), sub solstitium aestivum rex ad Acesinem erat, qui paucis diebus ab Hydaspe distat (ann. 85). Si igitur ipsum solstitium accurate definiri statuimus, pugnam sub 18 Mai. factam iustoque mensi ab Arriano adscriptam esse apparet. Ceterum cum veteres latiore sensu solstitii nomen usurpaverint, totam hanc quaestionem in medio relinquamus.

Venio ad eam rem, quam ultimam Arrianus certo mensi ac diei attribuit. Eius enim testimonio (Ind. 21, 1) Nearchus

20 Boedromionis die ex Indo vela dedit, secundum nostram rationem 20 vel 21 Sept. At in mense erratum et pro 20 Boedromione 20 Pyanepsionem statuendum esse sic concludere licet. Classis Nearchi navigare coepit, quo tempore etesiae a mari ad terram spirare desierant (Arr. Ind. 21, 1) i. e. post Septembrem exeuntem (Lassen Ind. Altertumsk. I 252 Hann Hdbch. d. Klimatol. p. 294). Venti autem ad navigationem idonei nondum consurrexerant, ut Strabo ipsum Nearchum secutus commemorat (XV 2, 5); ancoras igitur sustulit Nearchus ante Octobrem exeuntem et Novembrem ineuntem (Hann 307). Ita uterque locus et Arriani et Strabonis Octobrem indicat, quo septentrionales et meridionales venti de principatu in illo caeli tractu dimicant (Lassen I 251). Idem Nearchus sub occasum autumnalem Vergiliarum initium navigandi factum esse tradit (Strabo XV 2, 5), qui evenisse computatur eo anno et ea regione Oct. 12 (Droysen II 351 et 352 ann. 1). Accedit, quod infra cognoscemus (ann. 115), Nearchum Januario fere ineunte cum Alexandro iterum congressum esse. Itaque, cum 80 fere dies transierint ex eo tempore, quo vela dedit, usque ad illud, quo Alexandrum adiit (cf. Arr. Ind. 21—23 et 33, 7), classis profectio ad 20 fere Octobr. referenda est, non ad 20 Sept.

Ut finem faciam, Arrianus omnibus fere locis menses falsos indicasse redarguitur. Cum autem mox priorem pro posteriore mox posteriorem pro priore posuerit, in Macedonicis mensibus Attico more significandis minime certam legem observavit, sed doctrina sua fretus proprio Marte mensium nomina ipsi utpote civi Atheniensi et lectorum multitudini familiaria insuetis Macedonum nominibus substituit. Quod quamquam nostra causa dolendum est virum praeclarissimum isto officio minus prospere functum esse, ipsa fastorum Graecorum indoles satis excusat.

# EPHEMERIDES.

| | |
|---|---|
| 334 in. vere | Alexander ex Macedonia profectus est (Arr. I 11, 3).[1] |
| April. | Vigesimo die Sestum pervenit (Arr. I 11, 5). |
| „ | Hellespontum transiit (Arr. I 11, 6 Diod. XVII 17, 2 Plut. Al. 15 Just. XI 5, 4—11). |
| April. vel Mai. | Ilii sacra fecit (Arr. I 12, 7—8 Diod. XVII 17, 3 Plut. 15 Just. XI 5, 12). |
| 15 Mai. | Ad Granicum Persas devicit.[2] |
| aest. | Ilii iterum moratus in templo dona dedicavit vicumque amplificari iussit (Strabo XIII 1, 26). |
| „ | Sardes in deditionem accepit (Arr. I 17, 3 Diod. XVII 21, 7 Plut. 17). |
| „ | Ephesi Artemidi sacra fecit pompamque duxit (Arr. I 17, 10—18, 2). |
| „ | Mileti partem exteriorem statim cepit, interiorem post obsidionem (Arr. I 18, 3—6 Diod. XVII 22, 1—5 Plut. 17). |
| „ | Oppida inter Miletum et Halicarnassum sita recepit (Arr. I 20, 2 Diod. XVII 24, 1). |
| aut. | Halicarnassum post longam obsidionem praeter arcem expugnavit delevitque (Arr. I 23, 4—5 Diod. XVII 27, 6 Plut. 17).[3] |
| aut. vergente | Hyparna, Telmissum, Pinara, Xanthum, Patara aliaque 30 oppidula in deditionem accepit (Arr. I 24, 4 Diod. XVII 27 ex.—28). |
| 334/333 hieme | In Milyade terra Phaselitae Lyciique in planitie habitantes oppida sua Alexandro tradiderunt (Arr. I 24, 5—6).[4] |
| „ | Pergen Alexander advenit (Arr. I 26, 1—2). |
| „ | Aspendii se subiecerunt (Arr. I 26, 2). |
| „ | Siden rex profectus est (Arr. I 26, 4). |
| „ | Syllion capere frustra conatus est (Arr. I 26, 5). |

| | |
|---|---|
| 334/333 hieme | Aspendii denuo in deditionem venerunt (Arr. I 27, 1—4). |
| „ | Ante portas Telmessi moranti Alexandro Selgenses se dediderunt (Arr. I 28, 1). |
| „ | Sagallenses Alexander devicit (Arr. I 28, 2—8). |
| „ | Alia Pisidorum oppida partim vi occupavit partim iis, ut se darent, persuasit (Arr. I 28, 8). |
| 333 ex. hieme vel vere | Celaenas post 60 dierum iudutias recepit (Curt. III 1, 1—8). |
| ex. vere | Nodum Gordianum solvit (Arr. II 3, 1—8 Curt. III 1, 14—18 Plut. 18 in Just. XI 7, 4).[5] |
| „ | Postero die profectus est (Arr. II 4, 1). |
| aest. | Ancyrae Paphlagones per legatos Alexandro se tradiderunt (Arr. II 4, 1 Curt. III 1, 22—23 Plut. 18). |
| Juli. | Cappadociam ad suas partes rex perduxit (Arr. II 4, 2 Curt. III 1, 24 Plut. 18). |
| Aug. | Tarsi morbo implicatus est (Arr. II 4, 7 sq. Curt. III 5, 1 sq. Plut. 19 in. Just. XI 8, 3 sq.)[6] |
| Oct. | Ad Issum Dareum devicit (Arr. II 4, 11 Curt. III 9—11 Diod. XVII 34 Plut. 20 Just. XI 9, 1—8).[7] |
| Nov.—Dec. | Cyprus, Aradus, Marathus, Byblus, Sidon, Damascus victori se dediderunt (Arr. II 13, 7—15, 6 Curt. III 12, 27—IV 2, 1 Diod. XVII 40, 2 Plut. 24 Just. XI 10, 6—7). |
| Dec. | Tyrus obsideri coepta est.[8] |
| 332 sub 20 Juli. | Tyrus expugnata est (Arr. II 24, 6 Curt. IV 6 Diod. XVII 46 Plut. 25 Just. XI 10, 14).[9] |
| ex. Oct. | Gaza capta est (Arr. II 27, 7 Diod. XVII 48 ex. Plut. 25).[10] |
| Nov. | Hierosolyma aliaque vicina oppida rex adiit. Inde in Samariam processit (Joseph. antiquit. XI 8, 4—6).[11] |
| Dec. | Pelusium adiit (Arr. III 1, 1 Curt. IV 7, 2).[12] |

| | |
|---|---|
| Dec. | Memphim intravit (Arr. III 1, 4 Curt. IV 7, 4). |
| 331 Jan. 21 | Alexandream condidit (Arr. III 1, 5 Curt. IV 8, 1 Diod. XVII 52, 1 Plut. 26 Just. XI 11, 13).[13] |
| c. med. Febr. | Oraculum Jovis Ammonis consuluit (Arr. III 4, 5 Curt. IV 7, 26 Diod. XVII 51 Plut. 27 Just. XI 11, 9).[14] |
| Mart. | Memphim rediit (Arr. III 4, 5 sq. Diod. XVII 51 ex.). |
| „ | Ex Aegypto profectus est (Arr. III 7, 1). |
| ex. Mart. vel April. | Tyri ludos scenicos et musicos egit (Arr. III 6, 1 Plut. 29).[15] |
| aest. | Varias res ordinavit (Arr. III 6 Curt. IV 8, 9—15). |
| Aug. | Castra ex Phoenice movit.[16] |
| Aug. vel Sept. | Euphratem transiit (Arr. III 17, 2 Curt. IV 9, 12 Diod. XVII 55). |
| Sept. 20 | Tigridem transgressus (Arr. III 7, 5 Curt. IV 9, 17 sq. Diod. XVII 55).[17] |
| | Consedit (Arr. III 7, 6 Curt. IV 10, 1 Diod. XVII 55).[17] |
| „ 20/21 | Luna defecit (Arr. III 7, 6 Curt. IV 10, 2 Plut. 31).[17] |
| „ 24 | Cum mille Persarum equitibus rex conflixit (Arr. III 7, 7 sq. Curt. IV 10, 9 sq.).[18] |
| „ 24—25 | Igne, quem hostes fecerant, exstincto et re frumentaria provisa, castra munivit (Arr. III 9, 1 Curt. IV 10, 11 sq.).[19] |
| „ 26—29 | Exercitui requietem dedit (Arr. III 9, 1 Curt. IV 10, 15).[19] |
| Sept. 30/Oct. 1 | Exercitus Persarum et Macedonum in conspectum venerunt (Arr. III 9, 3 Curt. IV 13, 20 Plut. 31).[20] |
| Oct. 1 | Ad Gaugamela vel Arbela Dareus devictus est (Arr. III 13—15 Curt. IV 15—16 Diod. XVII 58—61 Plut. 31 Just. XI 14, 1).[21] |
| in. Nov. | Alexander Babylonem pervenit (Arr. III 16, 3 Curt. V 1, 17 Diod. XVII 64, 3 Plut. 35).[21] |

| | |
|---|---|
| c. Dec. 10 | Babylone castra movit (Arr. III 16, 3). [22] |
| ex. Dec. | Vigesimo die Susa intravit (Arr. III 16, 7 Curt. V 2, 11 Diod. XVII 65, 5 Plut. 36 Just. XI 14, 9). |
| 330 paulo post in. Febr. | Persepolim occupavit (Arr. III 18, 10 Curt V 6, 2 Diod. XVII 69, 1 Plut. 37 Just. XI 14, 10). [23] |
| Mai. | Persidis gentes interiores dicionis suae facere coepit (Curt. V 6, 12 Diod. XVII 73, 1). [24] |
| Juni. | Trigesimo die Persepolim rediit (Curt. V 6,7.) |
| „ | Persepolim incendit (Curt. V 7, 5 Diod. XVII. 72 Plut. 38). |
| paulo post in. „ | Castra movit (Arr. III 19. 1 Curt. V 17, 12 Diod. XVII 73, 1). [25] |
| Juli. | Ecbatana pervenit (Arr. III 19, 5). [26] |
| „ ex. | Rhagas intravit. [27] |
| Aug. | Rhagis post 5 dies profectus est (Arr. III 20, 3). |
| „ | Dareum mortuum vel morientem invenit (Arr. III 21, 10 Diod. XVII 73, 3 Plut. 43 Just. XI 15, 5). [28] |
| „ | Prope Hecatompylon exercitui quietem dedit (Curt. VI 2, 14). [29] |
| „ | Zadracarta profectus est (Arr. III 23, 6). [30] |
| „ | Contra Mardos expeditionem fecit (Arr. III 24, 1 Curt. VI 5, 11 Diod. XVII 76, 3 Plut. 44). |
| Sept. | Zeudracarta profectus est. [31] |
| „ | Zeudracartis castra movit. [32] |
| Oct. | Susiam, Ariae oppidum, intravit (Arr. III 25, 1). [33] |
| „ | Artacoana, caput Ariae, advenit (Arr. III 25, 5 Curt. VI 6, 33 Diod. XVII 78, 1). [34] |
| Nov. | Artacoanis castra movit. [35] |
| „ | Zarangaeorum caput intravit (Arr. III 25, 8 Curt. VI 6, 36 Diod. XVII 78, 4 Just. XII 5, 9). [36] |

| | |
|---|---|
| Dec. | Philotam Prophthasiae interfici iussit (Arr. III 26 Curt. VI 7—11 Diod. XVII 79 Plut. 48—49 Just. XII 5, 3).[37] |
| „ | Ariaspas vel Euergetas ad suas partes perduxit (Arr. III 27, 4 Curt. VII 3, 1 Diod. XVII 81, 1).[38] |
| Jan. 329 | Gedrosios et Arachotos in deditionem accepit (Arr. III 28. 1 Curt. VII 3, 4 Diod. XVII 81, 2 Just. XII 5, 9).[39] |
| Febr. | Caucasum attigit (Arr. III 28, 4 Curt. VII 3, 19 Diod. XVII 83, 1).[40] |
| — April. | Ad Caucasi radices meridionales reliquam hiemis partem degit.[41] |
| April. | Caucasum superavit (Arr. III 28, 9 Curt. VII 3, 22 Diod. XVII 83, 3).[42] |
| „ | Adrapsis vel Drapsacis consedit (Arr. III 29, 1).[43] |
| „ | Aornum advenit (Arr. III 29, 1).[44] |
| „ | Bactra ingressus est (Arr. III 29, 1).[45] |
| Mai. | Oxum transiit (Arr. III 29, 6 Curt. VII 5, 13—18).[46] |
| Mai. vel Juni. | Bessus, a Ptolomaeo captus, Alexandro adductus est (Arr. III 30, 3 Curt. VII 5,19—26 et 36 Just. XII 5, 10).[47] |
| Juni. | Quarto die Maracanda rex introiit (Arr. III 30, 6 Curt. VIII 6, 1). |
| „ | Jaxartis ripam attigit (Arr. III 30, 7 Curt. VII 5, 36).[48] |
| Juli. | Sogdianorum septem oppidorum seditionem oppressit (Arr. IV 2, 1—3, 5 Curt. VII 6, 13—23).[49] |
| Juli. et Aug. | Ad Jaxartem Alexandream condidit (Arr. IV 4, 1 Curt. VII 6, 25 Just. XII 5,12).[50] |
| Aug. vel Sept. | Contra Scythas trans Jaxartem incolentes expeditionem fecit (Arr. IV 4, 2 sq. Curt. VII 8, 8 sq. Plut. 45 ex).[51] |
| „ | Paulo post Scytharum legati eum adierunt (Arr. IV 5, 1 Curt. VII 9, 17). |

| | |
|---|---|
| Sept. vel Oct. | Macedonibus Maracandis considentibus contra Spitamenem auxilio venit (Arr. IV 6. 3 Curt. VII 9, 20). [52] |
| Oct? | Spitamenem persecutus barbarorum terram, qui cum eo defecerant, devastavit eosque ipsos, quos cepit, interfecit (Arr. IV 6, 5 Curt. VII 9. 22 Diod. XVII epit 24). |
| 329/328 | Zariaspis hiemavit. [53] |
| vere 328 | Ocho et Oxo amnibus transitis 6 oppida prope Marganiam condidit (Curt. VII 10, 15). [54] |
| „ | Arimazis Sogdianorum arcem occupavit (Curt. VII 11 Arr. IV 18, 4 sy). [55] |
| aest. | Maracanda intravit (Arr. IV 16, 2—3). [56] |
| „ | Sogdianos domuit (Arr. IV 16, 3 Curt. VIII 1, 7). [57] |
| „ | Maracandis stativa habuit (Curt. VIII 1, 7 et 10). [58] |
| „ | In regionem Bazairam pervenit (Curt VIII 1, 10). [59] |
| aut. | Maracandis Clitus ab Alexandro necatus est (Arr. IV 8, 1 Curt VIII 1, 20 sq. Diod XVII epit 27 Plut. 50 Just. XII 6, 1 sq.). [60] |
| „ | Xenippae regionis incolas in fidem accepit (Curt. VIII 2, 14 sq.). |
| „ | Sisymethris arcem occupavit (Curt. VIII 2, 19 sq.). [61] |
| „ | Spitamenis vel a Scythis vel ab uxore necati corpus regi allatum est (Arr. IV 17, 11 Curt. VIII 3, 9). |
| Dec. | Nautaca exercitum rex in hiberna duxit. [62] |
| Febr. vel Mart. 327 | In Gabazam regionem invasit. [63] |
| Mart. | Sagorum terram depopulatus est (Curt. VIII 4, 20). [64] |
| Apr. | In Paraetacarum terra locum a Choriene obsessum cepit (Arr. IV 21 Curt. VIII 4,21). [65] |
| „ | Bactra revertit (Arr. IV 22, 1). |

| | |
|---|---|
| April. vel Mai. | Callisthenes Bactris ab Alexandro interfectus est (Arr. IV 22, 2 Curt. VIII 5 sq. Diod. XVII epit. 28 Plut. 52 Just. XII 7, 2). |
| „ | Roxanen, Oxyartis filiam, rex in matrimonium duxit (Arr. IV 19, 5 Curt. VIII 4, 25 Diod. epit. 30).[66] |
| ex. vere | Bactra reliquit (Arr. IV 22, 3). |
| Juni. | Post 10 dies Alexandream in Caucasi radicibus sitam pervenit (Arr. IV 22, 4). |
| — Nov. | Alexandreae substitit.[67] |
| | Nicaeae Minervae sacra fecit (Arr. IV 22, 6). |
| Post Nov. 10 | In Indiam invasit (Strabo XV 1, 17 μετὰ δυσμὰς Πληιάδων).[68] |
| Nov. | Praeter Choen profectus flumen transiit (Arr. IV 23, 2).[69] |
| „ | Oppidum quoddam expugnavit delevitque (Arr. IV 23, 3—5 Curt. VIII 10, 6 Diod. XVII epit. 32).[70] |
| „ | Andaca oppidum recepit (Arr. IV 23, 5 Curt. VIII 10, 7 domita ignobili gente).[70] |
| Nov. vel Dec. | Nysam post obsidionem cepit (Curt. VIII 10, 7—10 Diod. XVII epit. 33 Plut. 58 Just. XII 7, 6).[71] |
| Dec. | Daedala atque Acadira transiit (Curt. VIII 10, 19 Just. XII 7, 9). |
| „ | Choaspem vel Euaspla flumen transiit (Curt. VIII 10, 22 cf. Arr. IV 24, 1).[72] |
| „ | Euaspla oppidum secundo die adiit (Arr. IV 24, 2).[72] |
| „ | Gyraeum flumen transiit (Arr. IV 25, 7).[73] |
| Dec. vel Jan. | Massaga expugnavit (Arr. IV 26—27 Curt. VIII 10, 22—36 Diod. XVII 84 Just. XII 7, 9—11).[74] |
| „ | Coenum contra Bazira sive Beira dimisit (Arr. IV 27, 5 Curt. VIII 10, 22).[75] |
| Jan. 326 | Ora sive Noram cepit (Arr. IV 27, 9 cf. Curt. VIII 11, 1). |

| | |
|---|---|
| Jan. 326 | Aornum petram vi occupavit (Arr. IV 28, 8—30, 4 Curt. VIII 11, 2—24 Diod. XVII 85, 1 sq. Just. XII 7, 12—13).[76] |
| „ | Dyrta occupavit (Arr. IV 30, 5).[77] |
| Febr. | Erycis sive Aphricis capite allato elephantisque eius praeter duos captis, ad Hephaestionem et Perdiccam rediit (Arr. IV 30, 9 Curt. VIII 12, 4 Diod. XVII 86, 2—3).[78] |
| — Mart. | Ad Indum 30 dies consedit (Diod. XVII 86, 3).[79] |
| Mart. | Indum transiit (Arr. V 4, 3 Diod. XVII 86, 3).[80] |
| „ | Taxila advenit (Arr. V 8, 2 Curt. VIII 12, 14 Diod. XVII 86, 4). |
| Apr. | Ad Hydaspem castra movit (Arr. V 8, 5 Curt. VIII 13, 5).[81] |
| „ | Ad Hydaspem consedit (Arr. V 9, 1 Curt. VIII 13).[82] |
| Sub 18 Mai. | Porum ad Hydaspem devicit.[83] |
| — Juni. | 30 dies consedit, ubi Porus devictus erat (Diod. XVII 89, 6)[84] |
| Juni. | Glauganicas sive Glausas in deditionem accepit (Arr. V 20, 2—4). |
| Jun. ex. | Ad Acesinem castra locavit (Arr. V 20, 8).[85] |
| „ | Acesinem transiit (Arr. V 20, 8 sq.). |
| Juli. | Alium Porum principesque ad Hydraotem habitantes per Hephaestionem subegit (Arr. V 21, 5 Diod. XVII 91, 2).[86] |
| „ | Hydraotem transiit (Arr. V 21, 6 Curt. IX 13). |
| „ | Secundo die, postquam ab Hydraote profectus erat, Pimprana, caput Adraestarum, in deditionem accepit (Arr. V 22, 3 Curt IX 1, 13 Diod. XVII 91, 2 Just. XII 8, 9). |
| „ | Unum diem Pimpranis consedit (Arr. V 22, 4). |
| „ | Sangala, in quod oppidum multi Cathaei confugerant, obsedit expugnavitque (Arr. V 22, 4 Curt IX 1, 14 Diod. XVII 91, 2).[87] |
| Juli. vel Aug. | Eumenem, quem contra duo alia oppida miserat, secutus est (Arr. V 24, 6—7). |

| | |
|---|---|
| Aug. | Sangala reversus oppidum diruit (Arr. V 24,8 Diod. XVII 91,4). |
| „ | Unum vel complura oppida se dare coegit.[88] |
| „ | In oppido Sopeithis, qui se tradiderat, per complures dies permansit (Curt. IX 1, 24—34 Diod. XVII 91, 1 Just. XII 8, 10). |
| Aug. ex. | In Rhegei regno per 2 dies substitit (Curt. IX 1. 36 Diod. XVII 93, 1). |
| „ | Militum ad Hyphasim seditio exorta est.[89] |
| Sept. in. | 12 aras et magna castra ibi fecit. Sacrificavit deinde ludosque celebravit (Diod. XVII 95, 1 sq. Plut. 61 Just. XII 8, 16).[90] |
| paulo post Sept. 20 | Ad Hydaspem advenit (Arr. V 29).[91] |
| Nov. in. | Vela dedit (Strabo XV 1, 17 πρὸ δυσέως Πληϊάδος οὐ πολλαῖς ἡμέραις).[92] |
| „ med. | Ad locum pervenit, quo Hydaspes et Acesines confluunt (Curt. IX 4, 1 Diod. XVII 96, 1).[93] |
| post „ „ | Sibas et Agalassas domuit (Diod. XVII 96, 1—5).[94] |
| Dec. | Contra Mallos et Oxydracas profectus graviter vulneratus est (Arr. VI 6—11 Diod. XVII 98—99).[95] |
| „ | Ad milites in castra rediit (Arr. VI 13,3 Plut 63).[96] |
| — Febr. in. 325 | In castris commoratus est (Arr. VI 14, 4 Curt. IX 3, 8 Diod. XVII 99. 5 Plut. 63).[97] |
| Febr. in. | Classis profecta est (Arr. VI 14, 4 Curt. IX 8, 3 Diod. XVII 102, 1 Plut. 63).[98] |
| c. Febr. 10 | Ad Acesinis et Indi confluentem advenit (Arr. VI 15, 1).[99] |
| — Febr. ex. | Ibi permansit.[100] |
| Mart. in. | In Sogdorum terram pervenit (Arr. VI 15,4).[101] |
| — April. in. | Ibi substitit.[102] |
| Apr. | Musicani regnum intravit (Arr. VI 15, 6—7 Curt. IX 8, 10 Diod. XVII 102, 5).[103] |
| „ | Ibi consedit.[104] |

| | |
|---|---|
| — Juli. med. | Porticanum, Sambum, Musicanum subegit terrarumque expugnatarum res ordinavit (Arr. VI 16—17, 2 Curt. IX 8, 10—28 Diod. XVII 102, 5—103, 8 Plut. 64 Just. XII 10, 2—4).[105] |
| Jul. ex. | Pattala advenit (Arr. VI 17, 5 Curt. IX 8, 28).[106] |
| Aug. in.—med. | Indi sinistra parte usque ad mare navigata, Pattala revertit (Arr. VI 18, 2—20, 1 Curt. IX 8, 30 Diod. XVII 104, 1 Plut. 66 Just. XII 10. 4).[107] |
| Aug.med.—Sept.in. | Dextro Indi ostio perlustrato, Pattala rediit (Arr. VI 20, 2).[108] |
| Paulo post Sept. in. | Pattalis ad occidentem versus terrestri itinere processit (Arr. VI 21, 3 Curt. IX 10, 4 Diod. XVII 104, 4 Plut. 66 Just. XII 10, 7).[109] |
| Paulo post Sept. med. | Ad Arabium flumen pervenit (Arr. VI 21,3 Curt. IX 10, 5—6).[110] |
| Sept. | Praeter Arabii ripam profectus flumen transiit (Arr. VI 21, 4). |
| Sept. vel Oct. | Oritis bellum intulit (Arr. VI 21, 5 Curt. IX 10, 6 Diod. XVII 104. 5). |
| Oct. | Fines Oritarum et Gedrosiorum egressus est (Arr. VI 22, 1 Curt. IX 10, 5 Diod. XVII 104, 5).[111] |
| Dec. | Pura advenit post 60 dies (Arr. VI 24,1 Plut. 66 Strabo XV 2, 7).[112] |
| „ | Puris iter perrexit.[113] |
| „ | In Carmania consedit.[114] |
| Jan. in. 324. | Nearchum in Carmania convenit (Arr. VI 28, 5 Curt. X 1,10 Plut. 68).[115] |
| Post. med. Jan. | Pasargadas intravit (Arr. VI 29, 1 sq. Curt. X 1, 22 Plut. 69).[116] |
| Febr. | Persepolim advenit (Arr. VI 30, 1).[117] |
| ex. Febr. | Susa introiit (Arr. VII 4, 1 Diod. XVII 107, 6 Plut. 70).[118] |

| | |
|---|---|
| in. Mart. | Susis Ἄγγηα fabulam agendam curavit.[119] |
| Juni. vel Juli. | Tigride adverso Opim navigavit (Arr. VII 7, 1—8).[120] |
| Sept. | Opi milites seditionem fecerunt. Qua sedata eos, qui volebant, rex in patriam remisit (Arr. VII 8, 1—12).[121] |
| Sept. vel Oct. | Susa advenit.[122] |
| Nov. vel Dec. | Ecbatana intravit (Arr. VII 14, 1 Diod. XVII 110, 6 Plut. 72).[123] |
| Dec. vel Jan. | Ecbatanis Dionysum celebravit.[124] |
| 323 Jan. | Cossaeos subegit (Arr. VII 15, 1 χειμῶνος Strabo XI 13, 6 χειμῶνος Diod. XVII 111,4 sq.).[125] |
| Febr. | Cossaeorum fines post quadraginta dies reliquit Diod. XVII 111, 6). |
| April. | Babylonem advenit (Arr. VII 16, 5 sq. Diod. XVII 112, 1 sq. Plut. 73 sq. Just. XII 13 1).[126] |
| April. vel Mai. | Hephaestioni ut heroi sacra fecit (Arr. VII 23, 6 Diod. XVII) 115, 6 Plut. 75 Just XII 12, 12).[127] |
| Juni. 13 | Mortuus est (Arr. VII 28, 1 Curt. X 5, 6 Diod XVII 117, 5 Plut. 75—76 Just. XII 16, 1).[128] |

# ANNOTATIONES.

1. Anno archontis Ctesiclis (Diod. XVII 17, 1) = a. 335/334 (Clinton fasti Hell. 162).

2. Pugna ad Granicum facta est mense, qui a Macedonibus Daesius (Plut. Al. 16), ab Atheniensibus Thargelion (Plut. Cam. 19) appellatus inde a 15 Mai. usque ad 15 Jun. pertinebat (Unger 592 Mommsen 292 Schmidt 786/787). Initio autem mensis pugnatum esse inde apparet, quod rex, ne Daesio dimicaretur, post Artemisium paulo ante pugnam Artemisium alterum intercalavit, ita ut is idem esset mensis atque aliis annis Daesius (Plut. Al. 16) Calidum anni tempus Diodori (XVII 18, 2) et Arriani (I 12, 9) narratio indicat, e qua frumentum in campo fuisse apparet. Granici vero altitudinem (Plut. Al. 16) nescio an ad nives vere in montibus liquefactas referam.

3. Halicarnasso expugnata, ii milites, qui ante bellum uxores duxerant, in patriam remissi sunt, ubi hiemarent (Arr. I 24, 4). Itaque Halicarnassus autumno deleta est.

4. Ἐν ἀκμῇ τοῦ χειμῶνος (Arr. I 24, 5) i. e. med. hieme. Ἀλέξανδρος εἰς χειμέριον ἐμπεσὼν καιρὸν — εἰς Λυκίαν — (Strabo XIV 4, 9).

5. Tempus eo definitur, quod milites illi in Macedoniam remissi (ann. 3) iussi sunt redire ineunte vere. Qui se coniunxerunt cum Alexandro post 40—45 dierum iter; nam Sestum usque est 20 dierum iter (Arr. I 11, 5) et Gordium abest a Sesto 60—70 milliar. Eo autem colligitur tempus, quo Alexander nodum Gordianum solvit; nam solvit post militum adventum, quoniam postero die quam solverat castra movit (Arr. II 4, 1). Non multo autem postquam milites advenerant, nodum eum solvisse apparet; magnopere enim eius intererat, quam maturrime Asianis demonstrare se fato Asiae dominum destinatum esse.

6. Tunc aestas erat (Curt. III 5, 1).

7. De pugnae tempore disputavi p. 7/8.

8. Tyrus cum 7 menses obsessa (Diod. XVII 46 Curt. IV 4, 19 Joseph antiquit. XI 8) et c. Juli. 20 expugnata sit (ann. 9), c. 20 Dec. obsideri coepta videtur.

9. Tyrus capta est ultimo ante noviluniun die (Plut. Al. 25). Arrianus mensem Hecatombaeonem a. 332 Anicete archonte indicat, qui finiebat c. 20 Aug. Sed 20 Juli. intellegendum esse supra (p. 8) monui. Ceterum cum civitates Graecae novam lunam varie observarent, idem dies a Macedonibus ultimus, ab Atheniensibus primus numerari poterat. Itaque Arrianus, quamquam falso mensem nomenque archontis videtur posuisse, erroris tamen convinci nequit.

10. Gaza 2 menses obsessa est (Diod. XVII 48 Jos. XI 8). Obsidendi initium ad Aug. med. certe referendum est (p. 8) Octobri igitur medio Gaza capta est.

11. Droysen (I 298/299) ante Gazae expugnationem Alexandrum contra Samaritanos et Iudaeos profectum esse contendit, non recte, puto; nam ex Josepho (l. l.) ante expeditionem Aegyptiacam et post Gazae expugnationem regem ibi fuisse apparet. Accedit, quod rex primum Iudaeos, deinde Samaritanos adiit, qua rerum serie Droyseni sententia refutatur.

12. Aegyptii regum suorum regna ex primo die illius anni, quo quisque regnare coeperat i. e. ex 1 Thoth, numerabant (Ideler I 115 sq.). Alexandrum autem regnum non eo anno occupavisse, quo Dareus mortuus est, sed iam eo, quo in Aegyptum pervenit, Ptolemai canone confirmatur, quippe quo octo anni ei ascribantur. Regnare igitur coepit 1 Thoth a. 332=14 Nov. (Unger 657). Qua re Alexandrum non ante Nov. 14 a. 332 Aegypti primam urbem i. e. Pelusium, quo septimo die pervenit (Arr. III 1, 1), intravisse putandum est.

13. De die, quo Alexandria condita est, cf. Erdmann (Hellenist. Städtegründg. 1883) et Nissen (Mus. Rh. XL 60).

De tempore scriptores in diversas partes digressi sunt. Curtius quidem (IV 8, 1) et Diodorus (XVII 52, 1) et Justinus (XI 11, 13) Alexandream post Alexandri ab Jove Ammone reditum conditam esse tradunt, Arrianus (III 1, 4) et Plutarchus (Al. 26) postea. Ego assentior Arriano. Quem cum omnino maiore auctoritate quam illos esse censeo tum de hac re rectius tradidisse persuasum habeo. Cum enim hoc loco nihil addat de auctoribus suis, manifestum est eum sequi Aristobulum et Ptolemaeum consentientes. Ptolemaeum autem

ut Aegypti regem diem Alexandrae conditae et probe scivisse et recte tradidisse quis est qui neget?

14. Alexandrea et oraculum distabant 3000 stad. (Strabo I 3, 4) vel 15 fere dierum itinere.

15. Ludos nescio an memor Dionysiorum magnorum, quae cadebant in med. fere Elaphebolionem (Nissen Mus. Rh. XL 342) = Mart. ex., celebraverit.

16. Undecimo die post profectionem Alexander ad Euphratem pervenit (Curt. IV 9, 12). Contra Zolling (p. 6) illum numerum spernit: Alexandrum intra 4 menses Memphide Thapsacum profectum, Tyri unum mensem commoratum esse (p. 5), ita ut 3 mensibus iter 150 milliar. Germ. confeceret. Cuius itineris tarditatem ut explicet, regem crebro substitisse censet. Cum autem ita non auctores nostri quidquam eius modi tradant, ut Curtius 11 diebus Alexandrum ad Euphratem pervenisse statuat neque hoc rerum naturae obstet, existimare malo regem usque ad Julium Tyri substitisse. Jam vero Julio Euphratem transitum non esse (Zolling § 40), vide p. 9.

17. Dies 20 Sept. erui potest ex lunae defectione, quae accidit 20/21 Sept. (Ideler I 347). Diodorus enim tradit (XVII 55, 6) Alexandrum eum diem, quo Tigridem transiit, militibus ad recreationem dedisse et Curtius (IV 10, 8) eadem nocte, qua luna defecit, castra mota esse. Zolling quidem (p. 29/30) in 18 Sept. Trigidis transitum incidere opinatur, cum Curtius (IV 10, 1) biduo regem consedisse narret; sed falsa est ista sententia. Nam si recta esset, paulo infra tres dies intercalare debebamus inter alteram post requitem Alexandri profectionem et pugnam ad Gaugamela factam; sed quae illis diebus facta essent, plane ignoraremus. Accedit, quod illa intercalatio aliena est ab Arriano, qui (III 9, 2—11) diligentissime quae quoque die usque ad cladem Darei facta sint tradit. Quae cum ita sint, Alexandrum primo quidem biduum subsistere constituisse puto, postea autem luna deficiente commotum esse, ut iam altero die castra moveret. Curtii ipsius narratio isti opinioni favere videtur, cum dicat: „Rex impetu animorum utendum ratus, castra movit“ (IV 10, 8).

18. Quartus post Trigidis transitum dies (Arr- III 7, 7) erat 24 Sept.

19. Droysen uno die 24 Sept. equites Persicos dispersos equitesque Macedonicos in castris collocatos esse non recte censet (I 329). Nam Alexander, postquam hostes fugavit et persecutus est (Arr. III 8, 1 - 2 Curt. IV 10, 11), ignem, quem Persae longe lateque fecerant, exstinxit et rem frumentariam providit (Curt. IV 10,11 sq.), deinde castra locavit et fossa valloque circumdedit (Arr. III 9, 1). Ad quae perficienda biduum opus fuisse suspicor (24—25 Sept.). Biduum pono, quod aliter Arriani et Curtii narratio non convenit cum Plutarcho, quippe qui Persicas et Macedonicas copias undecima post lunae defectionem nocte in conspectum venisse tradat. Quod si recte video, 26 Sept. milites in castra concesserunt in quibus 4 dies (—29 Sept.) permanserunt.

20. Undecima nocte, postquam luna defecerat, hostes a Macedonibus conspecti sunt (Plut. Al.) i. e. 30 Sept./1 Oct. Haec est procul dubio eadem nox, quae pugnae antecessit (cf. Plut. 31—32 in. Curt. IV 13, 14 sq.). Pugnatum igitur est 1 Oct. Krause (Herm. XXIII 525 sq.) Darei cladem ad 30 Sept. refert, quem diem ex Arriano eruere conatur. Recte quidem dicit 29 Sept. Droysenum transiluisse sed facile unus dies in rationem induci potest (anm. 19). Plutarchus (Cam. 19) πέμπτῃ φθίνοντος Βοηδρομιῶνος pugnam fuisse tradit (=) 26 Boedr. Unger 591), quo ex tempore elucet lunam 16 Boedr. vespere defecisse. Itaque, cum tempus a Plutarcho prolatum ad lunam accomodatum sit, quoniam plena tantum luna deficit, non intellego, cur Krause (525) 22 Boedr. statuat. Annus vero est 331 (Arr. III 15, 7 Clint. 166).

21. Arbela et Babylon 60 fere milliar. Germ. distant. Arbela enim sita sunt sub 36° 14' lat. et 44° 4' long. et Babylon sub 32° 21' lat. et 44° 30' long. (Stanford Geogr. Index p 3 in Atlas Lond. 1882). Vides igitur post 15—20 dies regem Babylonem intravisse, quod in extrema viae parte acie instructa tarde profectus est (Arr III 16, 3). Victoria potitus cum ad Arbela oppidulum conderet (Droysen III 2, 209) militesque certe aliquam diu reficeret, ante Nov. in. Babylonem non pervenit. Droysen Oct. ex. praefert (I 343). Zollingi vero sententia refutanda est, qui regem haud diu post pugnam commoratum iam Oct. med. Babylonem ingressum esse opinatur (p. 38. 41).

22. Babylone 34 dies stativa habuit (Curt. V 1. 39 Diod. XVII 64, 4 minus accurate πλείους τῶν τριάκοντα ἡμερῶν. Just. XI 14, 8 eundem numerum dat quem Curtius, sed urbis nomen non ascribit).

23, Hiems erat, cum copiae in urbem Persepolim introducerentur (Plut. 37). Ut iter 4200 stad., quae a Susis Persepolim usque numerantur (Strabo XV 3, 1), sine ulla difficultate faceret, 20—25 dies regi consumendi erant. Sed Uxii in montibus habitantes subigendi erant (Arr. III 17, 1 Curt. V 3, 7 Diod. XVII 67, 4). Accedunt complures dies, quibus rex portas Persicas sive Susidas oppugnabat (Arr. III 18, 2 Curt. V 3, 17). Praeterea autem Susis quoque variis rebus ordinandis vacabat, ita ut statim iter continuare non posset (Arr. III 16, 7 Curt. V 2, 11 Diod. XVII 66 Plut. 36 Just- XI 14, 9). Quae omnia Febr. demum Persepolim occupari potuisse ostendunt, sed nihil nos censere impedit haud ita multo post Febr. in. id factum esse. Zolling (p. 71) Jan. ex. statuit, eundem igitur fere dierum numerum quem ego computat. De via, quam rex ingressus est, cf. Zolling p. 68 sq.

24. Curtius sub Vergiliarum sidus regem adversus Persidis interioris gentes expeditionem fecisse narrat (V 6, 12). Quo loco quin ortus tantum, qui in Mai. incidit, intellegi possit, dubium mihi non est, quoniam tum commodiore itinere rex montes altissimos petere poterat quam Aprili ineunte, quo sidus illud occidit. Droysen quidem Curtium occasum exhibere putat, sed id quoque tempus serius esse opinatur, cum eo ver indicetur. Itaque Curtium omittendum esse indicat (367 ann. 1). Sed talis sententia caret fundamento; neque enim Curtius hibernum fuisse tempus memorat, ut Droysen vult, sed sempiterna tantum nive contectarum regionem mentionem facit. Jam vero ibi homines imbribus, quos Curtius affert (V 6, 12), etiam hodie Aprili vexantur (Spiegel Eran. Altertumsk. I 248). Zolling illam expeditionem Martio exeunte vel Aprili ineunte factam esse existimat (p. 73)

25. 4 menses Persepoli rex commoratus est (Plut. 37).

26. Quantum distet Persepolis ab Ecbatanis, Diodorus declarat (XIX 46, 6). Quo loco Pythonem vigesimo die, postquam Ecbatana reliquerat, Persepolim invasisse tradit. Alexander quidem non tam celeriter iter, quod certe 100 fere milliar. longum fuit (Zolling 74 plus 90 milliar.), conficere po-

tuit. Nam primum, cum Persarum regem iterum pugna secum decernere velle comperisset (Arr. III 19, 3 Curt. V 8, 2), copias acie instructa procedere iussit (Arr. l. l.), deinde Paraetacas dicionis suae facere coactus est (Arr. III 19. 2.) Neque autem ea expeditione regem diu detentum esse arbitror, nam et Arrianus breviter eam attingit et alii scriptores praetermittunt. Jam vero postea, cum nuntius esset allatus Dareum fuga salutem petere, maiore quidem celeritate rex progressus est (Arr. III 19, 3). Attamen iter aliquanto dierum numero retartadum est. Itaque Julio demum Ecbatana advenit.

27. Ecbatanis rex non diu commoratus est (cf. Zolling 80). Neque enim, ni ita se res haberet, tam celeriter in Dareum incidisset, qui, cum ipse in urbem ingrederetur, 8 diebus antecesserat (Arr. III 19, 4). Et quae res Ecbatanis eum detinebant, non multum temporis absumpserunt (cf. Arr. III 19, 5—8). Quare Julio exeunte Rhagis eum affuisse putandum est, quo undecimo die pervenit (Arr. III 20, 2). De situ Rhagarum oppidi vide Zolling (82).

28. Alexandrum sexto die postquam Rhagis profectus erat, Dareum assecutum esse, temporis apud Arrianum diligentissima descriptione explicatur (III 20, 4—12 cf. Zolling 85—87). Desmense vide p. 9. Annus est 330 (Arr. III 24, 2 Clinton 166). Tempore aestivo Alexandrum Persas persecutum esse, Justinus docet (XII 1, 2).

29. Tertio die Hecatompylum advenit (Diod. XVII 75,1). Arrianus Hecatompylum nominatim non affert, sed fortasse id erat oppidum, ubi Arrianus eos milites exspectatos esse narrat, qui remanserant (III 23, 1).

30. Militibus Hecatompyli ex itinere refectis (Diod. XVII 75, 1) rex Zadracarta processit (Arr. III 23, 6), quo decimo fere die, postquam profectus erat, advenit. Hecatompylus enim 159 stad.=3, 75 milliar. Germ. a. Stiboetis fluminis fonte abest (Curt. VI 4, 3 Diod. XVII 75, 5), inde Zadracarta usque (hodie Asterabad, Droysen I 383 ann.) 18 farsangae = 71 milliar. Angl. = 14, 4 milliar. Germ. numerantur (Ritter VIII 478. 469). Quare Hecotompylis a Zadracartis 18 fere milliar, Germ. vel 4 dierum itinere aberat, quoniam montes aliaque impedimenta magnam copiis molestiam attulerunt (Arr. III 23 Curt. VI 4). Accedunt 4 dies, quibus in castris

rex consedit (Arr. III 23,5 Curt. VI 4,8). Ex castris deinde profectus contra Mardos expeditionem fecit, quam in Augustum ipsum incidisse puto. Nam a Septembri usque ad Januarium regio illa vehementissimis imbribus vexatur, quibus omnes viae inundantur (Ritter VIII 429/430). Neque autem quidquam de pluviis Alexandri historiae scriptores narrant, cum aliis locis, praecipue Curtius, saepe intexant caeli descriptiones. Antiquitate autem alio anni tempore illam tempestatem ibi coortam esse, non est, cur putemus.

31. Curtius nomine omisso ad oppidum, in quo Darei regia erat, ventum esse narrat (VI 5,23); quae regia Zeudracartis erat (Arr. III 25,1). Quod ad tempus attinet, quo rex Zeudracarta ingressus est, certe Sept. appetierat. Mardis ipsis bellum 5 dierum illatum erat (Curt. VI 5,21).

32. Zeudracartis rex 15 dies consedit (Arr. III 25,1). Curtio (VI 5,32), Diodoro (XVII 77,1), Justino (XII 3,7) auctoribus per 13 dies cum Thalestri, Amazonum regina, consuevit; Plutarchus, qui idem narrat (46 in.), dierum numerum omittit.

33. 12.—15. die Susiam rex ingressus est. Nam inter Susiam et Zeudracarta 50 fere milliar. Germ. numerantur. Zadracarta enim ab Artacoanis 104 milliar. aberant (Clint. 248 append.), Artacoana a Susia 45—46 (Ritter VIII 284). Nam Susia prope oppidum, quod nunc Mesched vocatur, sita erat (Ritter VIII 290) et Artacoana, ubi nunc Herat (Grote VI 570 ann. 24.). Deductis igitur duobus numeris, relinquuntur 58—59 milliaria, quae inter Zadracarta et Susiam intercedunt. Quocum numero optime consentit alius, quo viae, quae est inter Mesched et Schahrud (S ab Asterabad), longitudo significatur (58 mill. Ritter VIII 337). A Zadracartis denique Zeudracarta usque ad orientem versus iter 8—9 milliar. faciendum fuisse ex tabulis geographicis concludo.

34. Post 9 fere dierum iter rex Artacoana pervenit; nam Artacoana et Susia 45—46 fere milliar. distabant (ann. 33) et in extrema viae parte magnis itineribus profectus est (Arr. III 25,6). Susiae aliquamdiu regem consedisse veri simile est (cf. Arr. III 25,1 sp.), sed brevi certe castra movit.

Ut hoc loco etiam afferam, quae veteres agrimensores tradunt, Diognetus et Baeto ab Hecatompylo Alexandream Arianam usque (i. e. Artacoana: Grote VI 570 ann. 24) iter

esse 575 m. p. (= 115 milliar. Germ.) tradunt (Plin. VI 61). Strabo (IX 8,9) 4530 stad. = 113 milliar. exhibet. Numerum igitur, quem Clintonis auctor profert (104 milliar. inter Zadracarta et Artacoana) prope ad verum accedere cognoscimus.

35. 30 dies rex Ariae oppidis occupandis intentus erat (Diod. XVII 78,2)

36. Dranges et Zarangaei eiusdem certe gentis nomina sunt, etsi Arrianus aliter sentire videtur (Droysen II anm. 3). Caput eius gentis, quo rex pervenit, nomine Prophthasia (Plin. VI 61 Droysen II 10 anm. 1), ab Alexandrea Ariana, quod oppidum rex condiderat, Strabone auctore (XI 8,9 1600 vel 1500 stad., Plinio (VI 61) 199 m. p., Clintone (248) 232 milliar. Angl. aberat. 10 igitur dierum iter regi Prophthasiam usque conficiendum erat.

37. Nono die, postquam consederat, de Philotae coniuratione rex certior factus est (Curt VI 7,1), quarto post die, ut ex Curtio (VI 7—11) computavi, de eo supplicium sumpsit.

38. Ariaspum sive Euergetarum, quos Diodorus (XVI 81,1) et Curtius (VII 3,1) Arimaspos appellat, caput, cui nomen erat Agriaspae (Mannert, Geogr. d. Griech. u. Röm. V 71), a Prophthasia aberat 207 milliar. Angl. (Clint. 248); decimo igitur fere die rex illuc pervenit. 60 vero dies regem in eorum finibus versatum esse (Curt (VII 3,3), plane mihi a vero abhorrere persuasum est. Nam, ni ita se res haberet, hiems, cum copiae Alexandri ad Caucasi radices advenirent, iam exiisset. At tamen Strabo ibi hiemavisse eum dicit (XV 2.10). Fortasse errore tamtum librariorum falsus numerus in contextum irrepsit, ita ut pro LX legendum sit IX. Hac quoque ratione locus sanari potest, ut pacter Euergetas Zarangaeos quoque Arianosque Curtio commemorandos fuisse iudicemus.

39. Hiems erat, cum rex copias per illorum fines duceret (Arr. III 28,1).

40. Inter Agriaspas et Caucasi radices 120 fere milliar. numerantur. A Prophthasia enim Ortospana usque iter est 6120 stad. (=153 milliar. Germ. cf. Strabo XI 8,6), ab Ortospanis Alexandream in Caucaso sitam usque 50 m. p. (= 10 milliar. Plin. VI 61), Prophthasia igitur Alexandream 163 millar. Deductis vero 41 milliar., quae numerantur inter Prophthasiam et Agriaspas (anm. 38), Agriaspae ab Alexandrea 122 milliar. abesse invenimus. Plinio si auctore utimur (VI 61), compu-

tatio efficit 117 milliar. (790 m. p. Prophthasia Alexandream usque). Medium igitur numerum ponere et suspicari licet post 30—40 dies regem ad eum locum pervenisse, ubi postea Alexandreem condidit. Nam Gedrosii et Arachoti brevi ad deditionem compulsi sunt (Arr. III 29, 1 .

Jam vero num satis recte viarum longitudines computaverimus quaeramus. Apud Grote (VI 535 ann. 100) Herat (=Artacoana = Alexandrea Arian.) et Kabul (= Ortospana) 680 milliar. Angl. (371 + 309) distare annotatur (= 147—148 milliar. Germ.), in ephemeride, quae inscribitur Peterm. Mitt. (XXV 25—26) 695 milliar. Angl. (= 150—151 milliar. Germ.). Qui duo numeri optime cum nostro 191 (40 + 41 + 110 ann. 36, 38, 40) coniungi possunt, quod rex longo per Zarangaeorum et Gedrosiorum fines circuitu ad Caucasum processit.

41. Strabo XV 2, 10. Substitisse ad Caucasi radices regem vel inde apparet, quod oppidum Alexandream ibi condidit (Arr. III 28 4 Curt. VII 3, 23 Diod. XVII 83, 2). Quod prope Tscharikar situm fuisse Schuffert censet (Alex. indisch Feldzug Colb. 1886).

42. Ineunte vere regem ex meridionali parte Caucasi castra movisse, Strabo declarat, quippe qui (XV 2, 10) regem ibi hiemavisse tradat; quibus ex verbis concludere licet vere eum profectum esse. Quo tempore rex Caucasum superavit, in montibus alta nix erat (Arr. III 28, 9 Curt. VII 3, 13), id quod mirum non est (Droysen II 38 ann. 1).

43. Quinto decimo die rex Adrapsa pervenit (Strabo XV 2, 10).

Oppidum illud neque Anderab neque Inderab, quae oppidorum nomina nunc in illa regione inveniuntur, intellegendum esse existimo, sed situm, fuisse conicio prope Heiback.

44. Diod. XVII 83, 1 τὸ ὄρος διελθὼν ἐν ἡμέραις ἑκκαίδεκα (ann. 45).

Aornus prope Chulum sita fuisse putatur.

45. Curt. VII 3, 22: 17 diebus Caucasum superavit.

Nescio an Curtius hoc loco tempus significet, quo Alexander Bactra pervenit, et Diodori 16 dies (ann. 44) referendi sint ad iter Aornum usque factum.

46. Bactra ab Oxo 400 stad. abesse ex Curtio patere videtur (VII 5, 2). Per noctem enim et posterum diem profectus prima fere vespera ad Oxum rex pervenit (cf. Curt.

VII 5, 1—12). Jam calidius anni tempus coeperat, cum copiae ad Oxum processerunt (Curt. VII 5, 3). Nocte autem ros et frigus corpora militum refrigeraverunt (Curt. VII 5, 5). Flumen vero difficili erat transitu, in quo Alexander 5 dies consumpsit (Arr. III 29, 4), ita ut sexto die exercitum exponeret (Curt. III 5, 18). Vi autem fluminis multi equi perierunt (Arr. 30, 6). Nam auctum flerebatur. Id inde factum esse mihi videtur, quod in montibus magna vis nivis liquefierat. Id autem mense Maio fieri mihi videtur. Bis enim anno Oxus accrescit, vere et aestate adulta (Geiger D. Feldzüge Alex. in.) Sogdian Neustadt a. d. H. 1884 Progr.). Geiger recte, puto, prope Schur- tepe Alexandrum Oxum transiisse putat, quod is locus 74 Km. = 10 milliar. Germ. a Bactris abest.

47. Ptolemaeus, ab Alexandrò ad Bessum persequendum praemissus, postquam 4 diebus iter fecit, quod solet 10 diebus fieri, ad vicum pervenit, ubi pridie Spitamenes et Bessus fuerant (Arr. III 29, 7). Illinc ad locum advenit, cuius incolae ei Bessum tradiderunt (Arr. III 30, 1), quintus is certe dies erat. Interea rex Ptolemaeum subsecutus est, a quo, cum Bessus caperetur, 6 dies aberat (Arr. III 29, 7). Ptolemaeus vero, cum muneri satisfecisset, obviam Alexandro ivit (Arr. III 30, 3) itaque tertio die post Bessum captum sive octavo, postquam regem reliquerat, se cum eo coniunxit.

Jam quaeramus, qua in regione Bessus captus sit. Vicus ille, cuius incolae Bessum tradiderunt, 11 dierum itinere ab Oxo aberat, ut ex temporis computatione, quam supra institui, patet. Itaque, cum Ptolemaeum prope Gusar, quod oppidum 110—120 km. a Samarcandis (Geiger p. 20) abest (= 4 dies cf. Curt. VII 6, 9), cum Alexandro se coniunxisse veri sit simile, ille vicus 3 dierum itinere a Gusar distet necesse est. Veri autem simillimum mihi videtur esse Dataphernem et Spitamenem ad occidentem versus in desertum cum Besso confugisse, quo Ptolemaeum secuturum esse non putabant. Geiger quidem (p. 19) aliter sentiendum esse indicat, sed cum mea sententia congruit, quod postea quoque Spitamenes in desertum fugit (Arr. IV 6, 5).

Ad aliud nunc transeamus. Apud Petermann (Mitt. XXIX 409) 28 diebus nunc a Kabul Maracanda perveniri posse refertur: deductis igitur 2 diebus, quibus Kabul (= Ortospana) ab Alexandrea (= 10 milliar.) distat, 26 dies relin-

quuntur, quibus ab Alexandrea ad Maracanda venitur. Alexander 17. die, postquam Alexandream reliquerat, Bactra introiit, inde ad Oxum intra unius noctis et diei spatium contendit, illinc Maracanda intra 12 dies (8+4). Hic igitur numerus (30) et ille (26) optime coniungi possunt; nam Alexander tardius certe processit.

48. Maracanda ab Jaxartis ripa, ubi paulo post Alexandrea condita est, 46 milliar. aberant (Mem melet. histor. 1839 p. 63), Droyseno auctore 30 vel, si viae anfractuum ratio habetur, 32 milliar. Ergo post 7—8 dies Jaxartem attingere rex potuit. Maracandis diu consedisse neque traditur neque ut id statuamus res, quae subsequuntur, permittunt. Menn (p. 61) non multo ante solstitium aestivum a. 329 exercitum ad Jaxartem ductum esse putat: quae sententia recta videtur esse. De via, qua rex processit, Geiger (20/21) disputavit.

49. Jam aliquamdiu rex ad Jaxartem erat, cum Sogdianos novis rebus studere comperit (cf. Arr. III 30, 10—IV 1, 4). Quos tempore aestivo profligavit; nam alveus torrentis, qui Cyropolim praeterfluxit, tum aque vacuus erat et arcis Cyropolitanae praesidium aquae inopia se tradere coactum est (Arr. IV 2, 2—4).

50. Paucis diebus Sogdianorum seditionem rex oppressit. 5 enim oppida intra 2 dies cepit (Arr. IV 2, 6), septimum ex itinere expugnavit (Arr. IV 3, 5), sextum solum nonnisi operibus admotis captum est: deinde arx uuum diem defensa est. Novae vero urbis muri post 17 (Curt. VII 6, 26 Just. XII 5, 12) vel post 20 dies (Arr. IV 4, 1) confecti erant.

51. Brevi post Alexandream conditam rex contra Scythas profectus est; nam propter id ipsum, quod ab hac urbe periculum sibi instare putabant, Scythae regi bellum intulerant (Arr. IV 4, 2 Curt. VII 7, 1). Scythis devictis (Arr. IV 4, 7 Curt. VII 9, 9 Plut. 45), non longe in terram rex invasit (Curt. VII 9, 13 per 80 stadia, Plut. 45 per 100, Plut. de fort. Al. II 9 per 150).

52. 1500 stadia, quae inter Alexandream et Maracanda numerantur (Arr. IV 6, 3), optime congruunt cum 36 milliar., quae Samarcand a Kojend abest (Menn. 63).

53. Arr. IV 7, 1: αὐτοῦ (i. e. Zariaspa) κατέμεινεν ἔστε παρελθεῖν ἀκμαῖον τοῦ χειμῶνος. Curtius (IV 10, 10) Bactra

pervenisse Alexandrum tradit, quod nomen, si Straboni (XI 8,9) et Plinio (VI 45 et 48) fidem habere licet, idem significat oppidum ac Zariaspa (cf. Geiger p. 25). Apud Plinium praeterea haec nomina occurrunt: Bactrum, Zariasta, Zariastes.

54. Utrum ea oppida ab Alexandro aedificata sint necne et ubi Margania oppidum situm fuerit, viri docti dissentiunt. Nihil eorum, quae annotaverunt, probari posse puto, quod Curtii et Arriani verborum sensum pervertunt. Sensui satis facimus, si Marganiam in dextra Oxi ripa sitam et Ochum flumen prope Bactra fuisse censemus.

Tempus vernum Arriani narratione comprobatur, qua regem ex hibernis profectum esse apparet (IV 7,1). Etsi Arrianus sex illorum oppidorum aedificationem paetermittit, tamen de re ipsa dubitari nequit. Nam alias quoque res, quae a. 328 gestae sunt, in Arriani libro desideramus (cf. ann. 58, 59, 60). Toto fere vere illa re regem occupatum fuisse duco.

55. Recte Geiger (p. 35) demonstravit Arimazis arcem (Curt.) diversam non esse a Sogdiania petra (Arr.). Unum argumentum, quod ille praetermisit, addo. Curtium et Arrianum eandem arcem spectare etiam inde apparet, quod conspirant ea, quae de militibus tradunt. Paucos fuisse Curtius (VII 11,27) dicit, Arrianus exercitum in 5 partes divisum esse (IV 16,2), ita ut hic causam paucitatis videatur affere. Strabo quoque (XI 11,7) Arimazis arcem commemorat.

56. Tum Alexandrum Maracanda ingressum esse Curtius apertis quidem verbis non tradit, sed quod regem Maracanda repetivisse paulo infra dicit (VIII 1,17), iam antea ibi erum fuisse ostendit.

57. Quinque exercitus partibus Maracandis coniunctis (Arr. IV 16,3), rex cum tertia parte (Arr. IV 16,3 Curt. VIII 1,1) Sogdianos non multo labore subegit (Arr. l. l.)

58. Maracandis iterum Alexandrum consedisse Arrianus non refert; itaque etiam Droysen id praetermittit.

59. Bazaira regio in orientali Sogdianae parte sita est (Spiegel II 557), ubi etiam hac aetate multae ferae inveniuntur (Curt. VIII 1,13 Ritter VII 732). Diodorus (XVII epit. 26) gentem illius regionis Basistos vocat. Expeditionis, quam rex illuc fecit, neque Arrianus neque Droysen mentionem faciunt.

60. In autumnum Cliti mortem incidisse Curtii narratio declarat. Decimo enim die post Hephaestio in regionem Bac-

trianam dimissus est, ut commeatum ad hiemandum provideret (Curt. VIII 2,13). Similiter Arrianus, postquam Amyntam Artabazi loco Bactrianae praefectum esse commemoravit — rectius quidem dixisset Cliti loco (cf. Curt. VIII 1,19) — Coenum a rege relictum esse tradit, ut in Sogdiana hiemaret et si quid hieme Spitamenes ageret, eum caperet (Arr. IV 17,3 sq).

Geiger Clitum ante Alexandri Bazairanam expeditionem necatum esse dicit. Sed errat, cum bis eo anno regem Maracandis fuisse statuat (cf. ann. 58 Geiger p. 45).

61. Diodorus, qui Sisymethris arcem in Nautacana regione sitam fuisse tradit, multa nive ibi exercitum vexatum esse adiungit (XVII ep. 29).

Geiger (p. 35 sq.) Sisymethris et Chorienis arces inter se diversas non fuisse hoc modo demonstrare conatur:

1) Arx faucibus, per quas flumen perfluit, defenditur (Arr. IV 21,2 Curt. VIII 2,23).

2) Alexander arboribus fauces explet, ut transiri possint (Arr. VI 21,3—5 Curt VIII 2,24).

3) Per Oxyartem barbaris, ut se tradant, imperat (Arr. IV 21,6 Curt. VIII 2,25).

4) Chorienes — Sisymethres in pristinam dignitatem restituitur (Arr. IV 11,9 Curt. VIII 2,32).

Quae argumenta vel indiligenter conscripta vel minime idonea sunt ad sententiam, quam Geiger profert, comprobandam. Nam primum quidem Curtius praeter fauces etiam flumen commemorat, Arrianus autem fauces tantum. Deinde Arriano auctore Oxyartes praefecto arcis rogante mittitur, Curtio autem testante terrorem ei inicere iubetur. Altero autem argumento et quarto nihil, puto, Geigeri sententia comprobatur. Jam vero quod Geiger (40) vere a. 327 regem ex hibernis contra illam arcem processisse dicit, erroris arguendus est (cf. Curt. VIII 4, 1).

62. Arr. IV 18, 2 περὶ Ναύταχα ἀναπαύων τὴν στρατιὰν ὅτι περ ἀκμαῖον τοῦ χειμῶνος ἦν. Curtius (VIII 4, 1) oppidi nomine non ascripto, hiberna tantum commemorat, sed ex eo quoque apparet hiberna prope Nautaca fuisse (VIII 2, 10). Tempus quoque Curtius significat, quippe qui tertio mense regem hiberna reliquisse narret (VIII 4, 1); sed ne tum quidem hiemis finis aderat (ann. 63).

63. Tertio mense rex exercitum hibernis movit (Curt. VIII 4, 1). Tum autem hiems nondum ad finem verterat, cum tertio die rex Gabaza irrupit (Curt. VIII 5, 6). De situ illius regionis cf. Geiger 42/43.

64. Sagi fortasse idem sunt populus ac Sacae, qui ibi incolebant ubi nunc Kirghizi (Kiepert 47).

65. Etiam ibi nives copias urserunt (Arr. IV 21, 10). Sisymethris et Chlorienis arces inter se esse diversas dixi ann. 61.

Paraetacene prope fines terrarum, quae appellantur Buchara et Darwas, sita erat, quoniam rex Bactra petivit.

66. Ex Arriano, Curtio, Diodoro vere a. 327 Roxanen ab Alexandro in matrimonium ductam esse apparet vulgoque ita putatur. Itaque non, ut Geiger (45), a me impetrare possum, ut id ad ver a. 326. referam. Nam dubitare nobis licet, num recte Arrianus tradiderit (IV 18, 4) in Arimazis arcis expugnatione Roxanen captam esse (cf. Curt. VIII 4, 23 sq.). Quod si recte video, Bactris Roxanem uxorem ductam esse ab Alexandro vero est proximum.

67. Rex, priusquam Indiam intraret, Taxilem et eos principes, qui cis Indum habitabant, per legatum obviam sibi ire iussit (Arr. IV 22, 6). Interea ipse consedit, dum ille rediret. Nam postea Perdiccas cum Taxile aliisque regulis, qui se tradiderant, ad Indum praemissus est (Arr. IV 21, 7 Curt. VIII 10, 2). Profectus autem Alexander est Nov. (Strabo XV 1, 17). Et quin spatium 4—5 mensium nimis longum non fuerit ad legati munus explendum, mihi quidem dubium non est. Nam primum Indiae fines 1000 stad. ab Ortospanis (Strabo XI 8, 9) itaque etiam ab Alexandrea urbe finitima absunt (Plin. VI 6, 1). A finibus autem Indiae, qui initium capiunt a Cophene (Arr. IV 22, 5) nunc esse iter 14 dierum ad Indum Ritter recte docet (V 219/220); nam Kabul flumen (= Cophen) 245 milliar. Angl. longum est (Pet. Mitt. 1878 p. 471); legatum autem, quippe qui non recta via procederet, plures certe dies consumpsisse puto. Accedit illud tempus, quo apud singulos, quotquot adibat, principes commorabatur. Quae omnia si perpendimus, 4—5 menses ad procedendum et ad redeundum legato opus fuisse concedere debemus. Et Alexandrum Alexandreae interim substitisse, veri est simillimum, praesertim quod complura ei erant ibi componenda (Arr. IV

22, 4—5). Lezius quoque (de Alex. M. expeditione Ind. quaestion. 1887 p. 9) contra Schuffert Alexandrea praeconem esse praemissum opinatur.

68. Alio loco (XV 1, 26) idem Strabo Alexandrum Cophenem transiisse dicit, quibus verbis certe significat Indiam eum ingressum esse: nam India a Cophene initium capit (ann. 67). Ibi Cophenem non Kabul sed Pundchir esse vide Lezium (pg. 18).

69. Choes Khonar flumen esse vulgo putatur (Lezius 20 Schuffert 11). Sed iam ante Khonar aliud flumen magnum in Cophenem influit, cui est nomen Alishang. Quod flumen Choem fuisse arbitror: nam mirum essset, si Arrianus id praetermisisset.

70. Si recta est sententia, quam de Choe dixi, Schuffert errat, qui alterum oppidum „Alt-Kunar," alterum, Andaca, „Neu-Kunar" sive „Paschat" fuisse oppinatur. Nam utrumque trans Khonar situm est (pg. 12).

71. Lezius (79) Curtii de Nysa narrationem neglegendam esse opinatur; sed recte mihi Schuffert (p. 12/13) demonstrasse videtur re vera Nysam ibi sitam fuisse. Quod vero ad tempus attinet, tum hiems aderat (Curt. VIII 10, 7 .

72. Choaspem et Euaspala nomina idem flumen significare puto, quod nunc Khonar vocatur. Schuffert (q. 11) Choem et Choaspem et Euaspla unum esse flumen Khonar censet. Lezius (22 ann. 1) Euaspla oppidum et idem esse iudicat ac Daedala (Curt. VIII 10,19). Ex Arriani verbis (IV 24,1—2) concludamus necesse est Euaspla flumen et oppidum fuisse. Similiter paulo infra (IV 25,6) Guraeos poputum et fluvium cognominem invenimus. De hiberno tempore Strabo docet (XV 1,17 cf. Arr. IV 24, 1).

73. Lezius (24 ann. 2) flumen, quod Gyraeus vocabatur, nunc esse Pandikora putat, Schuffert (p. 13) Lundi; uter recte sentiat diiudicari non potest. Sed ne Swat quidem flumen, quod a septentrionibus in Lundi influit, neglegendum est.

74. Massaga oppidum quarto die captum esse, ex Arriano (IV 26,5—27,4) computari potest, Curtius (VIII 10,31) nonum diem dat. Schuffert (p. 13/14) Massaga prope Abusai sita fuisse putat, alii alibi, quo iure, ipsi videant. Non omnium eorum locorum, quae Alexander ibi adiit, situm definiri posse existimo.

De tempore hiberno vide Strab. (XV 1,17).

75. Curtius ante Massagorum oppidi expugnationem Coenum contra Beiram missum esse refert (VIII 10, 22), Arrianus post eam (IV 27, 5).

76. Decimo die Aornum captam esse ex Arriano computavi. Ex Curtio et Diodoro tempus accurate quidem definiri non potest, sed ex iis quoque apparet paulo post septimum diem illam arcem occupatam esse (Curt. VIII 11, 9 Diod. XVII 85, 6).

77. Schuffert (p. 13) Dyrta non esse diversa a Dhyr, qui locus nunc ibi situs est, nominum similitudine, puto, commotus concludit. Invenitur quidem in tabulis geographicis Dhyr oppidum sed cis Pandicora flumen. Quod autem Alexander id iam transiit, si quidem transiit (ann. 73), id oppidum Dyrta esse non potest. Frustra operam insumimus, si loci situm investigare conamur.

78. Sexto decimo die, postquam iter perrexerat (Curt. VIII 12, 4), Alexander ad Indum advenisse videtur. Indo flumine secundo regem ad Hephaestionem et Perdiccam navigasse Arrianus auctor est (IV 30, 9).

Qua finita quaestione de alia re disputemus. Malden enim (Journal of Philology 1883 p. 271—277) demonstrare studet Alexandrum non in sinistra Kabul fluminis ripa processisse. Haec sunt argumenta:

1) Alexander non tam temerarius erat, ut per Kafiristan terram inviam iter faceret.

Sed si cogitamus per Pisidiae et Ciliciae montes eum processisse, per desertum Lybicum Ammonis oraculum adiisse, Caucasum deinde superavisse, per Gedrosianum desertum in Persiam rediisse, aliter de Alexandro sentiamus necesse est. Molesta quidem illa expeditio erat, sed ad gloriae cupiditatem, cui rex praeter ceteros deditus erat, excitandam valde consentanea.

2) Indus, quem Arrianus et Strabo commemorant, Khonar-Kabul-Indus est, Chophes est reliqua pars Kabul fluminis, Choaspes Logar, Gyraeus Kurum. Itaque rex, quoniam Choem, Choaspem, Gyraeum flumina transiit et haec in Cophenem a dextra parte influunt, non in sinistra ripa Kabul fluminis profectus est. Argumentum Malden promit ex Arriano et Strabone, quippe qui Indum ex Paropamiso (= Hindukusch) oriri tradant. Cum enim non Indus nostrae aetatis in montibus Hindukusch, sed Khonar nascatur, apud Arrianum et Strabonem Indus est Khonar.

Jam si quaerimus, num id rectum sit, Strabonis hunc locum exscribere mihi liceat (XV 1, 13):

ἅπαντες (i. e. ποταμοὶ Ἰνδικοὶ) ἀπὸ τοῦ Καυκασοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχουσι καὶ φέρονται μὲν ἐπὶ μεσημβρίαν τὸ πρῶτον, εἶθ' οἱ μὲν μένουσιν ἐπὶ τῆς αὐτῆς φορᾶς καὶ μάλιστα οἱ μὲν εἰς τὸν Ἰνδὸν συμβάλλοντες, οἱ δὲ ἐπιστρέφονται πρὸς ἕω. καθάπερ καὶ ὁ Γάγγης ποταμός.

Duo ex illis verbis concludo:

a) Strabo duo genera fluminum Indicorum novit, alterum eorum, quae primum ad meridiem deinde ad orientem fluunt, alterum eorum, quae tota cursum meridionalem habent.

Persuadere mihi non possum Strabonem Indum praeclarissimum illius regionis flumen primo generi ascripturum non fuisse, si putasset ei primum cursum meridionalem deinde orientalem esse.

b) Strabo flumina Indica, quibus primum occidentalis deinde meridionalis cursus est, ignorat. Itaque, cum Indus talem cursum habeat, Straboni ea sola pars Indi nota est, quae ad meridiem versus fluit i. e. Strabo Indum ex Paropamiso oriri putat.

Sed ex alio quoque Strabonis loco demonstrari potest sententiam, quam Malden profert, rectam non esse (XV 1,26):

ὥρμησε (scil. Ἀλέξανδρος) τὴν ἐπαινουμένην — scil. τὴν ὀρεινὴν καὶ προσάρκτιον — κατακτᾶσθαι πρότερον, ἅμα καὶ τοὺς ποταμοὺς εὐπερατότερους νομίσας τῶν πηγῶν πλησίον, οὓς ἀναγκαῖον ἦν διαβαίνειν, ἐπικαρσίους ὄντας καὶ τέμνοντας ἣν ἐπήει γῆν. ἅμα δὲ καὶ ἤκουσεν εἰς ἓν πλείους συνιόντας ῥεῖν καὶ τοῦτ' ἀεὶ καὶ μᾶλλον συμβαῖνον ὅσῳ πλεῖον εἰς τὸ πρόσθεν προίοιεν κτλ.

Quibus ex verbis concludere nobis licet regem flumina transiisse, quae a septentrionibus ad meridiem fluunt; sed omnibus, quae Malden commemorat, praeter Khonar, cursus alius est.

3) Si Alexander, inquit Malden, in sinistra Kabul fluminis profectus esset, id bis transeundum ei erat, quia Peucelaotin oppidum (= Peschawar) in dextra ripa situm recepit (Arr. IV 28,6). Sed, quamquam is transitus ponte tantum vel navibus fieri potuit, nihil eius modi commemoratur. Ergo, in-

quit Malden, rex in dextra ripa Kabul fluminis profectus est.

Sed neque certum est Peucelaotin a Peschawar non esse diversam neque regi iterum flumen transeundum erat, cum Peucelaotenses per legatos tradere se possent.

4) Indus supra Atok, ubi rex eum transiit, navigari non potest propter voragines.

Quas nostra aetate ibi coortas esse vel Indi alveum nunc alium esse existimare possumus.

79. Diod. XVII 86, 3: τριάκοντα ἡμέρας ἀνέλαβε τὴν δύναμιν.

Lezius (p. 31 ann. 1) veri non esse simile putat regem tum 30 dies consedisse, quia infra quoque (XVII 89) Diodorus eundem numerum tradat et Taxilis quiescere commodius fuerit. Quae argumenta satis valere ad Lezii sententiam comprobandam persuadere mihi non possum.

Jam vero rex cum ad Indum adveniret, ripas ponte iunctas invenit (Arr. V 8,5 Curt. VIII 12,4 Diod XVII 86,3). Perdiccas, qui ad eum faciendum cum aliis praemissus erat (Arr. IV 22,7 Curt. VIII 10.2), Novembri vel Decembri ad Indum pervenire poterat, sed Jan. demum certe pervenit, cum 30 diebus Asten domare conaretur (Arr. IV 22,9) aliisque diebus Orobatim oppidum muniebat (Arr. IV 28,5). Pons igitur Jan. 326 fieri coeptus est, ita ut Febr. Indo iniectus esse posset.

80. Ineunte vere Alexander copias Taxila deduxit (Strabo XV 1,17), quo itinere Indum transiit. Ac si, id quod nunc fieri Ritter dicit (VII 23), etiam antiquitate nisi a Novembri usque ad Januarium Indo pons inici non poterat, non post ver iniens exercitum flumen transiisse apparet.

81. Taxilis rex consedit. Nam Porum trans Hydaspem regnantem sibi occurrere iussit (Curt. VIII 13,2). Cleochares autem, qui ad eum missus est, ad Hydaspem iter fecit 120 m. p. (Plin. VI 62). Cuius reditum rex interea exspectavit. Nam, Pori responso audito, ad Indum Coenum remisit, ut pontem rescissum ad Hydaspem proferret (Arr. V 8, 4—5 Curt. VIII 10,3). Taxilis Alexandrum consedisse etiam Curtii narratione comprobatur, apud quem 5 dierum minimum moram investigare possumus. Interim nonnullorum principum finitimorum legationes regem adierunt (Arr. V 8,3).

82. Tum Hydaspes iam auctus erat (Arr. V 9,3 Curt. VIII 13,8) non tam pluviis, quam nive liquefacta (Arr. V 9,4 Plut.

60). Nam continuo tum demum pluere coepit, cum rex ad Hyphasim progressus est (Strabo XV 1 17). Ibidem Strabo imbrium initium in ver iniens cadere dicit, quorum vis magis magisque deinde augeatur. Idem nunc quoque fit (Hann 295 sq.).

83. De mense, quo pugna facta est, disserui p. 9. Annus est 327/326 (Arr. V 19,3 Clinton 168). Arriani narratione (V 9, 4 ἦν ὥρα ἔτους, ἡ μετὰ τροπὰς μάλιστα ἐν θέρει τρέπεται ἥλιος) quidam viri docti inducti sunt, ut iudicarent Arrianum pro Munychione scripsisse Metageitnionem (Grote VI 602 ann. 113 Droysen II 142 ann. 2); quae mutatio si recta est. etiam archontis nomen mutetur necesse est. Ceterum Grote totam de mense Attico quaestionem in medio relinquens sub Junium exeuntem vel Julium ineuntem pugnam fuisse suspicatur. Recte mihi Droysen iudicare videtur μάλιστα particula tempus non accurate definitum significari. Nam ne paulo infra quidem (V 9, 4 χειμῶνος ἔμπαλιν ἴσχουσιν — οἱ ποταμοὶ Ἰνδικοὶ — καὶ ὀλίγοι γίγνονται) diligenter Arrianus tempus expressit, cum iam Septembri pluere desineret (Hann 312). Etiam Lezius (39 ann. 2) Droyseni sententiam rectam esse censet.

Jam vero quo tempore rex Hydaspem transiit, ventum conflavisse a mari ad terram, id quod in India vere aestateque fieri solet (nam anni tempore calido illa in regione ventus in occidentem deflectitur cf. tabulam apud Hann 293), Curtii confirmant verba (VIII 13, 23): obstrepentibus ventis tumultuantium fremitus ab hoste non poterat audiri.

84. Interea duo oppida rex aedificavit, Bucephala et Nicaeam (Arr. V 19,4 Curt IX 1.6 Diod XVII 89,6 Just. XII 8,8 Plut. 61 Bucephala tantum commemorat). Praeterea materiem ad naves construendas caedi iussit (Diod. XVII 89,4) ludosque egit (Arr. V 20, 1). Quae omnia Alexandrum ibi substitisse comprobant. Qua de causa Grote iniuria Diodorum erroris arguit (VI 601 ann. 112), qui copias post victoriam 30 dies substitisse tradit. Necessario quidem ita Groteo sentiendum erat, quia, cum pugnam post solstitium aestivum factam esse vellet, aliter ad posteras res Alexandri tempus non sufficeret. Quod autem Lezius quoque Diodorum falso tradidisse putat (40 ann. 3) miror, quoniam et pugnam Munychione fuisse et Strabonis verba recta esse scribit (ann. 85). Quid tandem Alexandrum inter pugnam et Acesinis transitum gessisse putat?

85. Strabo XV 1, 18: Νέαρχος τοῦ Ἀκεσίνου πλησίον στρατοπεδεύοντάς φησιν ἀναγκασθῆναι . . . . γενέσθαι δὲ τοῦτο κατὰ θερινὰς τροπάς. Arr. Ind. VI 5; ἔφυγεν ἡ Ἀλεξάνδρου στρατιὴ ἀπὸ τοῦ Ἀκεσίνου ποταμοῦ μέσου θέρεος.

Quod vero Acesines super ripas se effudit, quo tempore rex aderat, non mirum, quoniam aestivae pluviae coeperant, postquam rex Hydaspe transito et Poro devicto ad Hyphasim profectus est (Strabo XV 1,17). Pluere autem incipit c. 20 Jun. (Lassen I 255).

86. Aestivum tempus Curtius indicat (IX 1, 11).

87. Diodorus nomen urbis non commemorat, sed Cathaeorum eam fuisse annotat, addens multis periculis eam expugnatam esse. Curtius (IX 1, 14 ad magnam deinde urbem pervenit, non muro solum sed etiam palude munitam), Sangala certe significat; nam etiam Arrianus (V 23, 4 6) de palude loquitur. Complures dies Sangala obsessa esse Lezius demonstrat (47/48).

88. Diodorus (XVII 91, 4) unum oppidum affert, Curtius (IX 1, 20—23) complura. Arrianus nihil de ea expeditione narrat.

89. Tertio die, postquam Rhegeum convenerat, Hyphasim rex transire decreverat (Curt, IX 2, 1), sed milites sequi noluerunt (Arr. V 25, 1 sq. Curt. IX 2, 10 sq. Diod. XVII 94 Plut. 62 Just. XII 8, 10.). Quae seditio Augusto exeunte exorta est; nam milites 70 dies pluviis se esse vexatos conquesti sunt (Diod. XVII 94, 3). Quem numerum si inde a die 20 Junii, quo fere nunc et antiquitate pluviarum est initium (Lassen I 255 Strabo XV 1, 17), computaveris, Augustus exiens efficietur.

90. Tertio die regis animus flexus est (Arr. V 28, 3 Curt. IX 3, 19).

91. Ab Hyphasi ad Hydaspem est iter 390 m. p. (Plin. VI 62) sive 20 dierum. Ad Acesinem aliquamdiu rex permansit (Arr. V 29, 5 Diod. XVII 95, 3). Curtius (IX 3, 23) tum demum Nicaeam et Bucephala oppida condita esse tradit, fortasse etiam Diodorus (XVII 95, 5). De via, qua Alexander rediit, vide Lezium (53 anm. 3 .

92. Rex, dum ad Hydaspem versatur, quidquid in oppidis nuper aedificatis pluviis afflictatum erat, resarcire conabatur (Arr. V 29, 5), itaque tum pluere desiisse concludo. Siccitas autem et nostris et illis temporibus appetit Septembri

fere medio (Lassen I 255 Strabo XV 1, 17 ἐπιτείλαντος Ἀρκτούρου). Praeterea ibi Alexander ea, quae ad navigandum necessaria erant, praeparavit (Arr. VI 1, 1 Curt. IX 3, 22 Plut. 53 in Strabo XV 1, 17). Ventos certe septentrionales exspectavit, qui sub Novembrem ineuntem surgunt (Hann. 307).

93. Arr. IV 4, 1: ἡμέρᾳ τρίτῃ κατέσχεν, ἵναπερ .... στρατοπεδεύειν παρήγγελτο. Ibid.: μείνας αὐτόθι ἡμέρας δύο. Ibid. 4: πέμπτῃ ἀφίκετο ἐπὶ τὴν ξυμβολὴν τοῦ τε Ὑδάσπου καὶ τοῦ Ἀκεσίνου i. e. decimo die post navigationis initium.

94. Curtius solam Sibarum gentem commemorat (IX 4, 1—8), Arrianus de barbaris generatim loquitur (VI 5, 4), Justinus Agensonas et Sibos affert (VII 9, 2). Cum rex in Siborum terram 250 stad. procederet (Curt. XII 9, 2), ea expeditio brevi confecta erat. Capite eius gentis vi capto, rex Acesinem transiit, ut Agallassas peteret, in quibus domandis diutius occupatus videtur fuisse. Nam unum eorum oppidum statim expugnavisse videtur, alterum diutius obsidendum erat (Curt. IX 4, 5—6). Sed haud ita multo post Decembris initium ad Acesinis ripam affuisse eum censeo. Interim naves corruptae restitutae erant.

95. Justinus (XII 9, 3—13) Mandros et Sudracas gentes appellat. Plutarchus (63) Mallos tantum commemorat. 8 diebus eos subactos esse cognosces, si in Arriani narrationem inquisiveris (VI 6—11).

96. Undecimo die, postquam vulnus acceperat, rex rursus inter milites erat (Curt. IX 6, 1 et 3), qui considebant, ubi Acesines in Hydraotem influit (Arr. VI 5, 1 Lezius 61, 3).

97. Plutarchus (Al. 66 in.) Alexandri per Indiae flumina navigationem 7 menses absumpsisse tradit. Cui repugnare videtur Strabo (XI 1, 17), qui 10 menses refert. Sed bene hi duo numeri coniungi posunt, si Strabonem a prima, Plutarchum ab altera classis profectione tempus computare ducimus, ita ut inter eas 3 menses intercedant. Itaque classis, cum Nov. in. navigare coepisset, Febr. in. navigare perrexit. Unum igitur mensem vel paulo diutius rex vulnus curavit (Plut. 63 πολὺν χρόνον Just. XII 9, 13 curatio vulneris gravior ipso vulnere Curt. IX 6, 26 Diod. XVII 99, 5), quod tempus nimis fuisse longum non arbitror; nam interea multae naves constructae sunt (Arr. VI 14, 4). Tum Malli quoque et Oxydraci se dediderunt (Arr. VI 14, 1 Curt. IX 7, 12).

98. De tempore vide ann. 97.

99. Regio illa, ubi Hydraotes in Acesinem influit, ab Indo et Acsine confluentibus 46 fere milliar. Germ. abest. Ritter enim (VII 195) a Bukkur ad Hydrabad, quae oppida ad Indum sita 53 milliar. distant (Ritter VII 159), 3 diebus nunc navigari posse dicit. Itaque cum singulis diebus 17 fere milliar. attribuat et a Multan oppido ad Acesinem sito usque ad Bukkur naviganti 4 dies consumendi sint (Ritter VII 195), inter ea oppida 70 fere milliar. intercedunt. Cum autem Bukkur ab Acesinis ostio 34 milliar absit (Ritter VII 148), Multan ab eo distat 36 milliar. Ad quem numerum 10 milliar. addenda sunt, quae numerantur a Multan usque ad Hydraotis et Acesinis confluentem (Ritter VII 62). Quae computatio efficit 46 milliar., quod iter classis 8 fere diebus flumine secundo facere poterat.

100. Oppidum illo loco opportunissimo rex condidit (Arr. VI 15, 2). Quae aedificatio quantum temporis absumpserit non traditur, sed nescio an existimare liceat eodem fere spatio temporis atque Alexandreae ad Jaxartem sitae muros novi oppidi confectos esse (ann. 50). Interea Perdiccas, cuius reditum rex exspectavit, Abastanos sive Sambastas (Diod. XVII 102, 1) sive Sabarcas (Curt. IX 8, 4) in regis dicionem redegit (de sedibus eius gentis cf. Lezium 63/64 ann. 5). Eodem tempore Ossadii, alia gens Indica (Lezius 64 ann. 2), per legatos se tradiderunt (Arr. VI 15, 1). Ex Xathrorum finibus novae naves ad Alexandrum delatae sunt (Arr. l. l. de sede eorum cf. Lezium 63 ann. 1). Praeterea ibidem Oxyartes, Alexandri socer, Paropamisadis praefectus est (Arr VI 15, 3). Quae omnia longiorem mansionem indicant.

101. Diodorus (XVII 101, 4), qui Sodres gentem vocat, praeterea Massanos commemorat, qui apud alios scriptores non occurrunt. Curtius (IX 8, 1: „ad alias deinde gentes Alexander quarto die pervenit“) his verbis Sogdos certe significat, id quod apparet, Arriani si narratio cum Curtio comparatur. Lezius (65 ann. 3) Sogdos a Sodribus diversos esse opinatur.

Lassen (II 183) prope Bukkur Sogdos habitasse recte mihi suspicari videtur. Nam quarto die rex eo pervenit (vide supra) et Bukkur 34 milliar. ab Acesinis ostio abest (Ritter V 148).

102. In Sogdorum finibus alterum oppidum rex condidit (Arr. VI 15, 4 Curt. IX 8, 1 Diod. XVII 102, 4) et navalia

construxit (Arr. l. l). Ut haec autem quodam modo perficerentur, unius fere mensis labor opus erat (cf. ann. 100).

103. Caput regni Musicani, quod prope Alor situm erat (Lassen II 185), haud procul aberat a Bukkur (Ritter V 473).

104. Arcem ibi rex muniri iussit. Ipse substitit, dum ea perfecta esset (Arr. VI 15. 7).

105. Ex Musicani regno rex in Porticani terram invasit (Arr, V 16, 1 Oxycanum regem appellat. Curt. IX 8, 11 Porticanum, quod nomen Lasseno auctore II 187 praeferendum est Diod. XVII 102, 5), qui Praestis imperitabat (Curt. IX 8, 11). Duo magna oppida ibi cepit (Arr. VI 16, 2), quorum in altero, quod tertio die expugnatum est (Curt. IX 8, 11), Porticanus ipse captus aut necatus est (Arr. VI 16, 2 Curt. 8, 12). Arce eius oppidi diruta (Curt. 9, 13) aliisque quoque oppidis receptis (Arr. VI 16, 2), Sambi regnum intravit (Curt. IX 8,17 Sabum regem vocat Arr. VI 16, 3). Sindimana autem, Sambi regni caput, cui nunc est nomen Sehwan (Lassen II 188 ann. 1), 32 fere milliar. abest a Bukkur, quod oppidum haud multum distat a Musicani regni capite (Ritter VII 159 ann. 103). Sindimani sua sponte quidem se tradiderunt (Arr. VI 16, 4), sed alia oppida ibi expugnanda erant et diruenda (Diod. XVII 102, 6), in quibus Harmatelia, Brachmanum qui dicuntur oppidum (Diod. XPII 103, 1 Arr. VI 16, 5 Curt. IX 8, 17 Plut. 64 Sabam regem appellat Just. XII 10, 2—4 Ambum). Quibus rebus gestis, cum Musicanus defecisset, Alexander oppida, quae ei oboediebant, partim delevit partim arcibus praesidiisque munivit (Arr. VI 17, 1 – 2), Pithonem autem contra Musicanum misit, qui captus et regis iussu necatus est (Arr. VI 17, 1—2 Curt. IX 8, 16 Diod XVII 102, 5 Musicanum antea sua sponte se tradidisse non tradit). Pattalenes quoque rex in deditionem venit (Arr. VI 17, 2).

Omnibus in rebus regem 3 fere menses usque ad Julium medium occupatum fuisse si contendo, haud magni, puto, erroris incusabor. Itaque, postquam ea, quae ad navigandum opus erant, praeparata sunt, sub 20 Julii diem classis vela dedit (cf. ann. 106).

106. Cum nostra aetate a Bukkur, prope quod oppidum Musicani regnum situm erat (ann. 103), ad Hydrabad oppidum Pattalis propinquum 3 diebus perveniri possit (Ritter VII 195), inter Bukkur et Hydrabad numerantur 50 fere

milliar. (ann. 99). Sub finem igitur Julii rex ad Pattala appellere potuit. Idem tempus a Strabone comprobatur (XV 1, 17 κυνὸς ἐπιτολή).

107. Cum navalia, quae Pattalis construi iusserat, aliquid processissent, rex navigare coepit (Arr. VI 18, 2). 400 stad. navigatione confecta ab indigenis certior fit se 3 diebus ad mare perventurum esse (Curt. IX 9, 3—7). Quinto igitur die naves relinquere poterat, ut in duabus insulis sacra faceret (Arr. VI 19, 3—4 unam Cilluta appellat Curt. IX 9 Plut. 66 unam commemorat, cui rex Scillusim nomen dederit, cui autem aliis auctoribus Psiltucis nomen fuerit Diod. XVII 104, 1). Navigatio autem adverso flumine facta non multo plus temporis absumpsit, quoniam tum etiam ventis meridionalibus rex usus est (Arr. VI 18,4), qui Septembri ibi flare desinunt (Lassen I 251). Itaque sub Augustum medium rex Pattala redierat, ubi arcem munitam invenit (Arr. VI 20, 1).

108. Ad navigandum idem fere tempus atque antea (ann. 107) opus fuisse iudico. Sed etiam per bis ternos dies praeter oram maritimam rex ivit rediitque (Arr. VI 20, 4); ergo Septembri ineunte Pattala advenit. Idem tempus Strabo indicat (XV 1, 17), qui 10 menses per Indiae flumina classem provectam esse tradit (cf. ann. 99. 92).

109. Etesiae etiam tum ad terram flabant, quo tempore rex Pattala reliquit (Arr. VI 21, 1). Quae Septembri exeunte paulatim conquiescunt (Lassen I 252 Hann 294). Curtius vero, quod hiemem mitigatam esse tradit (IX 10, 4), pluvias certe significat, quae eodem Septembri desinere solent (Lassen l. l.)

110. Curtii narratione, etsi confusa est (IX 10,5—6), tamen comprobari videtur quarto decimo die ad Arabium regem pervenisse (cf. Lassen II 196 ann. 3).

111. Nono die rex fines illos transiisse videtur (Curt. IX. 10, 5).

112 Curt IX 10,18 tandem (i. e. post longum iter). Diod. XVII 106, 1 ἦκεν εἰς χώραν οἰκουμένην.

113. Puris paulum rex copias refecit (Arr. VI 2 71 Curt. IX 10, 18 Diod. XVII 106, 1 Strabo XVII, 7 μικρόν.)

114. 7 dies Puris processisse rex videtur (Diod. XVII 106, Plut. 67 Curt. IX 10, 20). Hi enim tres scriptores cum iter 7 dierum bacchantium ritu fecisse tradunt, id quod Arrianus (VI 28, 1 sq.) iniuria, puto, in dubium vocat.

115. 5 diebus plus iam Alexander considebat, cum Nearchus advenit. Tantum enim ora, ad quam is appulit, a regis castris aberat (Arr. Ind. 33, 7). Accedunt autem complures dies, quibus Nearchus fossam et aggerem ducebat (Arr. Ind. 33, 10). Itaque Nearchus, cum sub 20 Octobris diem vela dedisset (p. 10) et post 70 dies, ut ex Arriano (Ind. 21—33) computavi, prope Alexandrum ancoras iaceret (Decembri exeunte), Januario ineunte regem convenit. Droysen inter 15 et 20 Dec. id factum esse putat (II 229 ann. 1). Sed errat, cum iam Augusto exeunte ex India regem castra movisse statuat (II 216). Nam Septembri demum ineunte rex navigare desinit (ann. 108). Praeterea Droysen Arrianum Nearchi profectionem ad 20 Boedromionis diem recte rettulisse putat, de quo errore disserui p. 10.

Qua finita quaestione ex Alexandri quoque itinere Januarium ineuntem eruamus. Alexander profectus post Septembrem ineuntem (ann. 108), fortasse sub 10 Sept., iter confecit 90 fere dierum (ann. 110, 111, 112, 114). Accedit requies militibus iter molestissimum data, qua quamvis brevi 10 dies consumptos esse persuasum habeo. Praeterea Alexander iam paulisper consederat, cum Nearchus advenit (vide supra).

116. Hiems erat, quo tempore rex castra movit (Arr. VI 28, 7). Pasargadae, quae sita erant ubi nunc Darabgerad (Ritter VIII 736.867 Spiegel II 618), a Bender Abassi, ubi Nearchus in terram egressus esse vulgo putatur, 11—13 dies absunt (Ritter l. l.). Alexander certe lentius processit. Castra vero regis ad septentriones versus a Bender Abassi sita fuisse non quidem pro certo affirmari potest, sed propter litoris recessum eum situm fuisse veri simile videtur.

117. Pasargadis aliquamdiu rex commoratus est (cf. Arr. VI 29, 1 sq. Curt. XI, 22 sq. Plut. 69 Strabo XV 3, 7 in.)

118. Inter Persepolim et Susa 4200 stadia numerantur (ann. 23); itaque 25 fere diebus rex Susa pervenit. Quinquagesimo autem die, postquam Alexandrum reliquerat, Nearchum cum eo Susis se coniunxisse ex Arriano computari potest (Ind. 37—42). Plinius vero (VI 100) id factum esse tradit septimo mense, postquam rex Pattalis profectus erat, et tertio Nearchi navigationis. Qui numeri inter se discrepant, nam ille septimus mensis est Febr./Mart. et hic tertius December (Unger et Schmidt l. l.). Facili autem mutatione dissensus tolli

potest. Si enim pro III legimus VI, in eundem mensem Febr./Mart. cadit Nearchi adventus in quem Alexandri.

119. Athen. XIII 595 ἐδίδαξε Διονυσίων ὄντων ἐπὶ Ὑδάσπου . . . Recte Grote (VI 611 ann. 150) Χοάσπου scribendum esse putat: nam post Harpali fugam illa fabula data est (Athen. XIII 595) et Harpalus post Alexandri ex India reditum cesserat (Diod. XVII 108, 4 sq.) Dionysia autem a. 324 Martio ineunte acta sunt (ann. 15). Tum Olympia quoque appetebant, quae in Septembrem inciderunt (Nissen XL 351) et quibus rex ut exsules reducerentur, imperare proposuit (Diod XVII 109, 1). Praecones certe ad eam rem misit, qui compluribus mensibus in Elidem contenderunt.

120. Jam Aprili mense, ut Droysen vult (II 255), Alexandrum Tigride adverso navigare coepisse, mihi quidem a vero abhorrere videtur. Nam tum altitudo fluminis (Spiegel I 1172), praecipue navibus antiquorum, magno est impedimento. Accedit, quod tum, altissima aqua, aggeres in flumine factos dirui fossasque restitui potuisse minime arbitror (Arr. VII 7, 7 Strabo XVI 1, 9). Quae cum ita sint, Junio vel Julio, quibus mensibus expeditior fit navigatio, regem profectum esse suspicor (cf. Lass. l. l.)

121. Inter Tigridis ostium et Susa antiquis temporibus 50 fere millaria Germ. intercedebant (Ritter X 28 et 29). Ab illo, ubi hodie Bassa oppidum situm est (Ritter X 29), ad Bagdad 50 fere diebus perveniri potest (Ritter XI 800 Droysen II 157 ann. 1); Bagdad autem ab Opi abest 15 milliar. (Mannert V 379). Sic igitur toti navigationi 2 fere mensium spatium tribuitur. Accedit autem illud tempus, quo aggeres illos (ann. 120) diruerunt. Itaque recte Droysen 2—3 menses annotat (l. l.)

122. Post 35 fere dies regem Susa introisse, ex numeris, quos supra commemoravi, concludere licet (ann. 121 cf. Ritter XI 800). Et profecto Alexandrum Susa rediisse neque recta via Ecbatana processisse demonstrabo ann. 123.

123. Droysen (II 307 sq.) Opi Alexandrum Ecbatana profectum esse scribit. Sed obstat ei Diodori narratio, qui Susis regem iter fecisse tradit, et Ritter, cuius in libro (X 329) omnia oppida, quae rex in illo itinere adiit, inter Susa et Ecbatana rita fuisse probabiliter exponitur. Accedit, quod Celonae, unum ex illis oppidis, alio quoque Diodori loco fortasse

commemoratur (XIX 19, 2 ὁδὸς ἐπὶ Κόλωνος quod nomen idem certe significat oppidum atque Κελῶναι), ubi inter Susa et Ecbatana locum situm fuisse apparet.

Iter autem ipsum 40 dies postulavit. Longiore enim via rex ivit (Diod. XIX 19, 2), cum brevior (Diod. XIX 19, 3) Cossaeis subactis aperta esset (ann. 125). Addendi autem sunt 37 dies, quos rex consedit (Diod. XVII 110, 3—6).

124. Athen. XII 538 a. 53. Ibi tempus, quo iterum rex Ecbatanis versabatur, indicari manifestum est; nam quo tempore in Dareo persequendo Ecbatana adiit, de gravioribus rebus agebatur quam de diebus festis.

125. Cur Alexander Cossaeos domuerit, ita optime explicari potest:

Cossaei a regibus Persarum, cum hi Ecbatanis in Babyloniam descendebant, dona accipiebant (Strabo XI 13, 6). Quae etiam ab Alexandro postulata esse suspicor quo tempore per Cossaeorum fines in Babyloniam rediturus erat. Sed tantum aberat, ut rex ea donaret, ut poena gentem afficeret. Confirmat sententiam meam Strabo (l. l.), qui Cossaeorum audaciam ab Alexandro oppressam esse dicit.

126. Per Susa Babylonem advenisse rex videtur, quia in orientaiem Babylonis partem introiit (Arr. VII 16, 6, 17, 5—6). Susa autem a Babylone 20 dierum iter absunt (Arr. III 16, 7), ab Ecbatanis 450 m. p. (Plin. VI 133 ea est brevior via cf. ann. 123). Duo autem respicienda sunt in tempore, quo rex Babylonem pervenit, statuendo: primum enim iam aliquantum ab Ecbatanis aberat, cum Babylonem Cossaeis domitis petiit, deinde lente processit (Diod. XVII 102,1). Quibus omnibus apparet ante Aprilem eum Babylonem advenire non potuisse. Ne autem eius adventum in posterius tempus detrudam, hac re maxime commoveor, quod milites Babylone 2 mensibus ad restituendam Beli pyramidem aggerem exstruxerunt, restitutioni autem ipsi morbus et mors regis obstitit (Strabo XVI 1, 5). Decessit autem Alexander 13. Junii die.

127. Nuntii, qui de Hephaestione mortuo oraculum Ammonis consulerent (Arr. VII 14, 7—13, 6), discesserant certe Ecbatanis, ubi Hephaestio mortuus erat. Quam longum illud iter fuerit, hac argumentatione demonstratur. Ecbatana a Tigride certe absunt 70 fere milliar., Tigris a Thapsaco 2400

stad. (Strabo I 1,24), Thapsacus a Nili ostio Canopico i. e. ab Alexandrea 6300 stad. (Stabo I 4, 5), Alexandrea ab oraculo 3000 stad. (Strabo I 3,4). Inde redeuntibus Thapsacum usque iter 9300 stad. perficiendum erat, inde Babylonem usque 4800 stad. (Strabo XVI 1, 22). Sacra autem Hephaestioni facta sunt paulo ante Alexandri mortem Arr. VII. 24, 1).

128. De mortis die cf. Schrader (De Alex. M. vitae tempore Bonnae 1889 p. 16—23.)

# VITA.

Josephus Nicolaus Kohn natus sum Nonis Juniis a. 1865 Duesseldorpii parentibus Nicolao et Sibylla e gente Jaegers, quibus adhuc superstitibus vehementer gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus vere a. 1876 in gymnasium Duesseldorpiense me contuli, ubi Kiesel et Uppenkamp directores omnesque magistri summis beneficiis me cumulaverunt. Vere a. 1885 almam Musarum sedem Bonnensem adii, ut studiis historicis, geographicis, philologicis operam navarem. Docuerunt me viri clarissimi Birlinger, Buecheler, Dove, Klein, Lamprecht, Luebbert, Menzel, Meyer, Neuhaeuser, Nissen, Rein, Ritter, Schwartz, Usener, Wilmanns, Witte. Ut seminarii historici per 7 semenstria sodalis, per 2 bibliothecarius essem, benigne concesserunt Dove, Menzel, Nissen, Ritter. Seminarii geographici per 5 semenstria sodalis, per 2 bibliothecarius fui moderante Reinio. Exercitationibus proseminarii philologici Buechelero, Luebberto, Usenero praeceptoribus per 2 annos interfui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago maximas; praecipue autem, quid Dovii, Menzeli, Nisseni, Reini, Ritteri disciplinae ac comitati debeam, qui semper studiis meis favebant, numquam obliviscar.

# SETENTIAE CONTROVERSAE.

*1) Non recte scribit Droysen (Gesch. Alex. I 124) iam medio Maio a. 335 exercitum Alexandri Danubium transiisse.*

*2. Recte conicitur Thuc. II 2, 1 scribendum esse* πέντε *(codd.* δύο *Krueger* τέσσαρας*).*

*3. In Gregorii Turonensis historia Francorum novus annus a Januario initium capit.*

*4. Dubium mihi videtur esse, num Widukind ipse extrema capita ad librum suum, qui inscribitur res gestae Saxonicae, adiunxerit.*

*5. Non die 7 April. a. 1625, sed 25 Juli. Wallenstein dux imperatorii exercitus factus est.*

*6. Iisdem anni temporibus nunc in India pluit atque antiquitate.*

*7. Terrarum, quae ad mare Mediterraneum adiacent, aestas arida etesiis efficitur.*

*8. Verg. Aen. VI 26 falso interpretatur Ladewig (ed Verg. Aen. ad hunc versum) „bidens“.*

3 0112 126252821